INTRODVC
IN
LECTIO
EPISTOLAE
APOST
AD
COLOSS
SECTIO

QVAM
VENERANDO THEOLOGOR
PRO
LICEN
SVMMOS IN THEOLOGIA H
IN
ACADEMIA I
a. d. XXVI. AVGVST. A. I
PVBLICE DE

CAROLVS C
HOFMA

ADHVC APVD LIPSIENS. AD AE
STES, NVNC DESIGNATVS S. S. THEO
ORDINARIVS ET ALVMNORVM
EPHORVS IN ACADEMIA

EDITIO SECVNDA

VITEMBER
APVD EPHRAIM GOTTI
ACADEMIAE TYP

30

DVCTIONIS
IN
CTIONEM
AE S. PAVLLI
OSTOLI
AD
OSSENSES
ECTIO I.

QVAM
LOGORVM ORDINE IVBENTE
PRO
E N T I A
GIA HONORES CONSEQVENDI
IN
IA LIPSIENSI
T. A. R. S. cIↃ IↃ cc XXXIX
ICE DEFENDIT
S GOTTLOB
MANNVS
AD AEDEM S. PETRI ECCLESIA-
. THEOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS
NORVM REGIO - ELECTORALIVM
DEMIA VITEMBERGENSI.

ECVNDA AVCTIOR 31.

EMBERGAE
GOTTLOB EICHSFELDIVM
E TYPOGRAPHVM.

PERQVAM. ILLVSTRI.
EXCELLENTISSIMO. GENEROSISSIMO
DOMINO
DN.
CHRISTIANO GOTTLIEB
DE
HOLTZENDORF
HAEREDITARIO. DOMINO. BAERENSTEINII
AGRIQVE. LICHTENAVIENSIS. TAM
SVPERIORIS. QVAM. INFERIORIS
ETC.
SERENISSIMI. ATQVE. POTENTISSIMI
REGIS. POLONIARVM. ET. ELECTORIS
SAXONIAE. SENATVS. ECCLESIASTICI. CONSI-
STORIIQVE. SVPREMI. PRAESIDI. GRAVISSIMO
CVBICVLI. REGII. COMITI. AMPLISSIMO. ET
A. CONSILIIS. REDITVVM. PVBLICORVM. ETC.

DOMINO. SVO. INDVLGENTISSIMO

PRO. SVMMO. EOQVE. IMMERITO. FAVORE
PATROCINIO. ATQVE. PRAESIDIO
ITERVM. ITERVMQVE. EXHIBITO
HANC. QVALEMCVNQVE. GRATI. ANIMI. TESSERAM
DEMISSO. ANIMO. OFFERT
DICAT. DEDICAT
FORTVNATA. QVAEVIS. ET. LAETISSIMA
PIA. MENTE. APPRECATVS
NOMINI. TAM. CLARO
TAM. CELEBRI
DEVOTVS

DISSERTATIONIS. AVCTOR

CAROLVS. GOTTLOB. HOFMANNVS.

LECTORI BENEVOLO
SALVTEM!

Quas Sanctus PAVLLVS Apoſtolus conſcripſit literas omnes admiramur, nec erit facile harum qui præſtantiam ſummamque auctoritatem ignoret. Qui enim divino afflatu gaudebat, nil niſi quod divinum & egregium omnique veneratione dignum, eloqui poterat Apoſtolus. Nec defuerunt unquam Paullinarum epiſtolarum præcones, quos ſingulos nunc recenſere, inanem operam ego quidem cenſeo. Eſt etenim omnium hominum Chriſtianorum, laudare oracula divinitus inſpirata, quae totius religionis fundamenta & principia conſtituunt.

Quam ad Coloſſenſes Paullus exaravit epiſtolam, doctores cœtus Chriſtiani omni tempore venerati ſunt, eamque promeritis laudibus condecorarunt. Iam olim Bulgarorum Archiepiſcopus, THEOPHYLACTVS, & diu ante CHRYSOSTOMVS, monuit, epiſtolas a S. Paullo in vinculis ſcriptas reliquis præſtare, quippe quæ inſtar tropæi in media cæde, parta victoria, a victore compoſitæ fuerint. HVGO GROTIVS idem ſentiebat, omnesque licet epiſtolas Paulli egregias putaret, omnium tamen primas, quæ Roma ex vinculis miſſæ. Sunt autem hæ laudes, niſi me omnia fallunt, caute accipiendæ, ne inde iniuria forte in θεοπνευστίαν, infallibilemque afflatum ſanctiſſimi flaminis deducatur. Maiorem cau-

tionem adhibuit, HEIDEGGERVS, qui, non parum hanc epiſtolam, quod in vinculis ſcripta, commendare exiſtimat; quia ſic conſtat, quanti S. Paullus veritatem fecerit, utpote propter quam vincula cæteraque pericula omnia promte patienterque ſubiit. V. *enchir. bibl. p. 902.*

Habet omnino epiſtola ad Coloſſenſes eximia multa & egregia, feliciſſimusque ſacræ exegeſeos magiſter b. FRIDERICVS BALDVINVS eam *Dialecticam Apoſtolicam* vocavit: quia ſuo exemplo docuit Apoſtolus, fidei doctrinas non nude proponendas, ſed & ad vitam bene inſtituendam transferendas eſſe. Egregiam docendi rationem! quam utinam omnes divini verbi præcones ſtudioſe ſequerentur.

Ego vero in hac epiſtola admiror in primis concinnum aptumque dicendi genus, quo ſingula Chriſtianæ religionis capita, creditu ſcituque neceſſaria, ſtrictim recenſuit, & (quod aiunt) in compendio tradidit. IO. HENR. HEIDEGGERVS recte eam dixit *totius evangelii nucleum;* addo ego, quod & præcipuæ morum doctrinæ regulæque breviſſimis ab Apoſtolo fuerint adiectæ. Hinc & b. BALDVINVS: *Brevis quidem eſt*, inquit, *& capitum non ita multorum, dives tamen dogmatum Chriſtianorum, clavis divinæ ſapientiæ cohærentium, & ſtimulos ad veram pietatem habet præacutos, qui ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum attenti lectoris penetrant.* v. *dedicat. ad commentar. in epiſt. ad Coloſſ.* Annuit AVG. CALMETVS, hancque ad Coloſſenſes epiſtolam, *ſenſibus & nobilibus elatisque phraſibus & moralis divinæ præceptis*, (utor autem ſtilo MANSIANO) *undique refertam admiratur.* v. *prolegom. bibl. tom. II. p. 257.*

Si

Si qua fuit ætas, adſiduam huius epiſtolæ meditationem lectionemque ſibi vindicans, eſt certe, quam nos vivendo attigimus. Ab hac parte urgent nos *Neo-Ariani*, qui etſi ab Apoſtolo in his ipſis literis fortiter confutati, non verentur ex iisdem tela, in divinitatem IESV Soſpitatoris noſtri directa, promere. Quis enim neſcit, quanto ſtrepitu πρωτοτόκον πασης της κτισεως laceſſere ſoleant perditiſſimi illi? Col. I, 15. Ab illa, in nos graſſatur turba, fidem Chriſtianorum dudum eiurata, honeſtum & ſpecioſum *Philoſophiæ* nomen titulumque mentita: quot quæſo alit Germania & Anglia portenta philoſophorum falſo ſic dictorum, qui rationem ubique crepantes, revelationem tandem omnem deletam cupiunt. Nec in noſtris terris deſunt, qui ſub venerando ſanæ rationis titulo figmenta quælibet ingenii luxuriantis venditant. Ab iſta demum parte, impia *Dippelianorum* cohors armata manu in vulnera IESV ruit, noſtræque fidei caput, ſatisfactionem pro criminibus noſtris, multo impetu adoritur. Horrendum dictu, ſed eheu veriſſimum! eo usque ſcilicet multos abripuit ſtudium promovendi ſanctitatem, ut morum probitatem inculcantes, veram ſolatiique pleniſſimam doctrinam de iuſtificatione, quovis modo peſſundarent. Tandem & doctores *Romanæ Eccleſiæ* Chriſtianum cœtum turbare, artesque antiquorum Gnoſticorum & Semiiudaizantium in orbem revocare pergunt. His ſingulis atque omnibus ex epiſtola Paulli ad Coloſſenſes obviam ire licebit, ita quidem, ut *Neo-Arrianis* Col. I, 16. c. II, 9. *Pſeudo-philoſophis* Col. II. 8. *Dippelianis*, Col. I, 14. 20. 22. Col. II, 14. 15, *Pontificiis*, Col. II, 16.-23. opponatur.

Inde patet, quam utilis & neceſſaria ſit theologo lectio

epiſto-

epiſtolæ ad Coloſſenſes, ad cuius faciliorem interpretationem eundem præparare ſtudemus. Nomen *introductionis* in rubro ſervavi, ceu vulgo notum, & ex PRITIANA opera in noſtros uſus translatum. In duas ſectiones opellam diſtribui, quarum *prima* in deſcribenda Coloſſenſis Eccleſiæ & urbis hiſtoria, *ſecunda & tertia* in ipſius epiſtolæ conſideratione theologico-critica, occupatur. *Prima* nunc in lucem edita, ſecum fert excurſus quosdam in argumenta theologica, quos facile mihi condonabunt, qui finem & ſcopum prolatæ nunc in orbem diſputationis ſecum volverint. *Secunda & tertia*, Deo favente, proxime priorem ſequentur, eaque, quæ in hac deſiderantur, ſupplebunt. Cæterum, lectores meos benevolos & memet ipſum divinæ curæ commendo, ſummoque Numini pro innumeris mihi exhibitis beneficiis demiſſa mente gratias ago. Sit DEO TRINVNI laus, honor, & gloria in ſæcula!

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Phrygiam venisse, non sine DEI consilio sapientissimo, probatur.

§. XIII.

Religio Colossensium *gentilis* describitur.

§. XIV.

Conversio Colossensium ad Christum indicatur, & ad Act. XVI, 16. & Act. XVIII, 23. observatio additur.

§. XV.

Conversionis *Auctor S. Epaphras*, cuius vita enarratur.

§. XVI.

Ecclesiæ Colossensis *status* felicissimus exhibetur.

§. XVII.

Doctores ecclesiæ Colossensis nominantur, *Onesimus* in primis.

§. XVIII.

Tychicus, *Archippus*, *Marcus*, *Philemon*.

§. XIX.

Vicinæ urbes, *Laodicea*, &

§. XX.

Hierapolis, nec non

§. XXI.

Anastasiopolis, describuntur, tandemque

§. XXII.

Cur de his Phrygiæ urbibus h. l. agatur, paucis monstratur.

§. XXIII.

Vltima Colossensis ecclesiæ fata, martyresque, deque *Choniatis* celebribus pauca afferuntur.

INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE APOSTOLI PAVLLI
AD COLOSSENSES
SECTIO I.

§. I.

AD *Colossenses* data est epistola, ad cuius faciliorem interpretationem pium doctumque hermeneutam informare studemus. Titulus epistolae praemissus Colossenses nominat, quippe qui hunc in modum se habet: Προς Κολοσσαεις επιστολη Παυλου, de cuius auctore etsi non constet satis, non est tamen, ut de veritate eiusdem dubitemus. In ipsis enim literis cap. I, v. 2. *Colossensis* ecclesia nominatim salutatur, nec ulla nominis huius vel mutatio vel variatio in codicibus MSS. observatur, nisi quae ad rectam scribendi occasionem pertinet, sensum autem nullo modo turbat. Alii codices habent v. 2. Κολοσσαις, alii Κολασσαις, quos singulos nominat doctissimus DN. BENGELIVS in *apparatu Critico* p. 699. cui iungas quaeso MILLII *Nov. test.* ad Col. I, 2. & beate defun-

Nomen urbis, ad quam epistola missa.

ctum *Wolfium* in *curis philol. Critic. ad N. T.* tom. III. p. 277. Etsi vero LVC. HOLSTENIVS in *observ. ad Geogr. Caroli a S. Paulo* p. 142. (*) studet lectionem Κολασσαεις omnibus persuadere, cui & CELLARIVS in *geogr. antiqu.* T. I. p. 152. & Celebr. SCHWARZIVS in *Comment. critic. ling. Græcæ N. T.* p. 799. aliique adsentiuntur: Etsi in Menæis Græcorum p. 178. eadem lectio observatur: Etsi denique in quibusdam codicibus & Patrum commentariis eadem lectio obviat; In *Strabone* tamen, *Herodoto*, *Xenophonte*, *Plinio*, & optimis N. T. codicibus nomen *Colossarum*, non *Colassarum*, scriptum legitur. Quam lectionem Latini Codices pariter & Patres vere omnes sectantur. Sique recte memini, in *Complutensibus* inscriptio Epistolæ habet quidem Κολασσαις, sed c. I, 2. in textu Κολοσσαις; quam variationem vel studio editoris, vel negligentiæ operarum originem debere, res ipsa loquitur. (**)

§. II.

Colossenses non sunt Rhodii.

Cum *Colossarum* nomine nullam urbem insignitam sciamus, præter eam, quae Phrygiæ Maioris est, miramur omnino, SEB. MVNSTERVM, virum cætera laudatissimum, *Rhodienses* per Colossenses nostros intellexisse. Idem somnium somniarunt & alii, a GVIL. ESTIO & CROCIO ad h. l. notati, facillimeque confutati, ut sunt ZONARAS, GLYCAS aliique, quibus viam munisse videtur SVIDAS, dum sub voce Ροδος tradit, Rhodi incolas a stupenda illa *Colossi* statua

(*) Scripseram nuper nomen ALLATII, praeeunte viro summo AVG. CALMETO in *prolegom. & dissert. in S. Scripturam Tom. II. p.* 256. Sed est apud CAROLVM a S. PAVLLO edit. an. 1722. p. 232.

(**) Cæterum, quod in Græcis codicibus Κολασσεις legimus, per alpha scriptum in secunda Syllaba, haud scio, an librariorum acciderit incuria, præsertim cum Vulgarius urbis situm exponens, Colossas scribat, non Colassas. Hæc ERASMVS *in annot. ad. N. T. p. m.* 441. (*edit. Basil.* 1519.)

tuai Κολοσσαεῖς vocatos esse. Sed omnibus patet, cognomen fuisse hoc Rhodiorum, quo in titulo & salutatione epistolæ uti, a moribus & Apostolorum & scriptorum bonorum abhorret. Scripsit Paullus Apostolus Colossensibus, proximis ab urbe Laodicensium & Hierapolitanorum, c. II, 1. & IV, 13. 15. Sed in Rhodum insulam longissime Hierapoli Laodiceaque distantem, hæc non quadrare, quis est, qui non intelligat. Eo facilius autem de Phrygiæ Colossensibus intelliguntur, qui & Laodiceam & Hierapolim in propinquo habuerunt. (*)

§. III.

Per Colossenses itaque, ad quos S. Paullus literas misit, intelligo incolas urbis Colossarum, in maiori Phrygia ad Lycum flumen olim sitarum, hodie nomine *Chonæ* vel *Chonon* nuncupatarum, & a Turcis ad Natoliam relatarum. Sic enim THEOPHYLACTVS: πολις Φρυγιας αἱ Κολοσσαι, αἱ νυν λεγομεναι Χωναι· *Colossæ urbs Phrygiæ, nunc Chonæ dicitur.* Verum non parum miratus sum, THEOPHYLACTVM præter propinquitatem Laodiceæ allegasse nullam causam, cur Chonas cum Colossis easdem existimet. CONSTANT. PORPHYROGENNETA *themate III.* scribit: Κολοσσαι, αἱ νυν λεγομεναι Χωναι, *Colossæ, quæ nunc Chonæ dicuntur.* De hac urbe paucissima monuerunt Commentatores plerique, ne excepto quidem CALMETO in *prolegomen. bibl.* tom. II. p.

An descriptio urbis Colossensium sit necessaria?

(*) Inprimis non possum non mirari, quid in mentem venerit iis, qui Colossenses, ad quos scribit hanc epistolam Paullus, aiunt esse Rhodienses, ob nobilem illum Colossum, qui memoratur inter septem mundi miracula. Nam de statua quidem nullus non meminit scriptorum. At de civitate huius nominis, ne ii quidem ullum fecere verbum, qui totius insulæ situm diligentissime literis prodiderunt. Hæc ERASMVS *loco citato* Et vere, inquit NIC. SANSONIVS, somniant, qui hos Colossenses Rhodios putant. v. *Geograph. sanct. p. 37. edit. Cleric.*

II. p. m. 256. Nec opus esset, de ea plura commentari, si iudicium IOH. HENRICI SVICERI *Comment. ad epist. Paulli ad Coloss.* p. 4. sequi vellemus: *De Colossis multa*, inquit, *dicere, exiguam haberet ædificationem Dei in fide.* At enimvero, quis non intelligit, SVICERVM vel de ignota re iudicasse, vel pietatem a doctrina & eruditione immerito seiunxisse: alia enim curat interpres doctus, alia lector pius & simplex. In mentem mihi revocat SVICERI lapsus vesaniam Fanaticorum, ad quorum sententiam si Theologorum studia essent conformanda, omnis eruditio ab Eusebies sacris removenda esset. In vulgus nota est profana BARCLAII Quackeri vox, qua omnem *academicam theologiam* (per contemtum ita vocatam) *artem cauponandi* dicere veritus non est. v. *Apolog.* thes. X. §. 19. Nec desunt hodie, qui Christianam simplicitatem in crassam ignorantiam commutatam cupientes, tot convitia, tot scommata, tot orationes invectivas sæpe in Academias harumque prælectiones eructant, & sub venerando ασκησεως εν ευσεβεια venditant, ut merito suspicemur, subsidia a profana eruditione in Theologiam translata, passim male audire. Quoties quæso ignobile hoc vulgus occinit academiis, το κηρυγμα Paulli non constitisse in πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογοις, 1. Cor. II, 1. Etenim non animadvertit, Paullum de fidei salutaris fundamento & principio, frustra in argumentis philosophicis quæsito, loqui, non de subsidiis variæ eruditionis, quibus Theologus opus habet, quibus & ipse S. Paullus subinde in epistolis suis usus est. Taceo, artes fraudesque Sophistarum, Paulli ætate sophistice & in utramque partem de una re disputantium, cum Critica, Geographia & Chronologia sacra, &c. conferri non debere. Nec est, ut quis nobis obiiciat, profanam eruditionem inflare hominem: verba enim Apostoli, ad quæ alluditur, (1. Cor. VIII, 2. η γνωσις φυσιοι, *scientia inflat*,) nequaquam de *profanis* scientiis, sed de *sacra* quadam cognitione accipienda sunt, nec tamen ea salutari, sed

Usus profanarum literarum in sacris, contra Fanaticos asseritur.

ad

ad fastum & ostentationem composita. Nimirum de γνώσει, de qua Corinthiorum quidam gloriabantur, quasi scilicet soli doctrinam de discrimine ciborum rectissime intelligerent. Tantum abest, ut Paullus de eruditione humana loquatur; ut potius abusum spuriae notitiae (γνώσεως) & scientiae Christianae reprehendat, de qua ipsi Fanatici sibi suisque fratribus gratulantur. Nonne quaeso omnibus theologis in Academia educatis sese putant longe doctiores? nonne se putant longe sanctiores, longe profundiores in divina sapientia? en! quam inflaverit homines scientia, quam divinus Paullus optime vocavit γνῶσιν ψευδώνυμον, 1. Tim. VI, 20. Vrgent denique discrimen, quod ubique crepant, inter *literam* & *spiritum*; quaestiones Criticas, geographicas &c. ad literam referunt, eamque mortuam & inutilem, quare & easdem abiiciendas atque fugiendas iudicant. Sed quoniam discrimen illud (*) satis explosum, frustraque in Paullino effato 2. Cor. III, 6. quaesitum, non est, ut eiusdem confutationi diutius immoremur. Ad rectius faciliusque capiendum sensum S. Scripturae literalem, pertinent dictae quaestiones: ad promtius superandas difficultates, non a Quackerorum rudi plebecula, sed a prudentioribus hermeneutis observatas, faciunt eaedem: tandemque Theologum instruunt, qua arte reiicere debeat Scepticorum & Antiscripturariorum dubia, ad negandam S. codicis divinam autoritatem excogitata. Haec qui secum reputaverit, vanas artes nunquam vocabit Criticam, Geographiam, Chronologiam, nec alias scientias eruditas, ad Theologiam applicatas. AVGVSTINVS haec studiorum genera

(*). Illud nempe discrimen, de quo nunc loquimur, scilicet, a Fanaticis male excogitatum, suisque pessimis opinionibus accommodatum. Non est itaque, ut nobis veteres VITEMBERGENSES theologi, discrimine inter literam & spiritum usos, obiiciantur: pios enim nostros maiores a Schwenckfeldianis erroribus longissime abfuisse, quis est qui ignoret. conf. BALDVINVS *in comment. ad epistol. Paullin. p. m. 603.*

ra eruditis Christianis commendavit ideo, *quia historia transactorum temporum plurimum nos adiuvat ad sanctos libros intelligendos, etiam si præter ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiades, & per consulum nomina multa sæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus & quo passus est, nonnullos coëgit errare, ut putarent, quadraginta sex annorum ætate passum esse dominum, quia per tot annos ædificatum esse templum, dictum est a iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat*, v. de doctrin. Christian. L. II. c. XXVIII.

§. IV.

Colossæ, urbs Phrygiæ.

In Phrygia Maiori sitas olim fuisse Colossas, diximus; nec absque fide auctorum optimorum, STRABONIS scilicet, PLINII, XENOPHONTIS, STEPHANI BYZANTINI, aliorumque: Quorum loca & testimonia ut prolixius allegemus, necesse non est, cum nemo de re maxime nota dubitet. HERODOTVS Colossas nominat πολιν μεγαλην Φρυγιας, XENOPHON πολιν οικȣμενην, ευδαιμονα και μεγαλην, *Lib. I. de exped. Cyri p. 193.* Menæa Græcorum describunt, ut πολιν της Φρυγιας, πλησιον της Λαοδικειας. d. 22. *Nov.* pag. 178. Et in quarto hymno, in honorem Philemonis decantando, vocant θειαν πολιν Κολασσεων, non tam propter agri fertilitatem, quam religionis Christianæ Martyrumque gloriam. Cætera tacemus. Phrygia quoniam in *minorem* & *maiorem*, post hæc maior in *salutarem* & *Pacatianam*, divisa est, merito quæritur, ad quam Colossæ pertinuerint: Ad utramque quæstionem respondebo, posteaquam, cui Asiæ ipsa Phrygiæ regio sit adscribenda, constabit.

§. V.

Phrygia regio Asiæ minoris.

Phrygiam vulgo dicimus regionem Asiæ; qui curatius loqui amant, eam vocant terram Asiæ minoris. Est autem vox Asiæ æquivoca: Sex etenim diversos significatus collegit CELLARIVS *in volum. dissert. p. 418.* *Latissimum*, quo tertiam terræ

ræ continentis partem, eamque opulentissimam & ditissimam indicat. *Latiorem*, quo peninsulam magnam inter duo maria, Ponticum & Mediterraneum, natantem denotat. *Latum*, quo regionem cis & citra Taurum montem sitam significat. *Strictum*, quo provinciam proconsularem, quatuor regiones a mari Ægeo proximas complectentem. *Strictiorem*, quo mediam provinciæ partem circa Ephesum & Lydiam. *Strictissimum* denique, quo parvum ad flumen Caystrum tractum ex notione Homerica, designat. Mihi quia res est cum Lectoribus sacri voluminis N. T. ex CELLARIO repeto, in sacris paginis vocem Ἀσιας denotare sæpius *provinciam Asiæ*, quam CELLARIVS recte *proconsularem* dixit. Ecclesiæ septem, ad quas Ioannes Apocalypsin suam exaravit, in Asia hac proconsulari iacebant, Apoc. I, 4. & c. I, 11. add. Act. XIX, 19. 22. 26. Atque hanc DIO historicus subinde nominavit ηπειρον Ασιαν, *continentem Asiam* L. 37. p. 38. L. 48. p. 371. V. SPANHEMII *orbis Romanus* c. XI. p. m. 228. Dispicere licebit aliis, sitne hæc Asia η ιδιως λεγομενη apud STRABONEM Lib. 12. pag. 672. η ιδια Ασια apud PTOLEM. l. c. c. 2. *Asia proprie vocata* apud PLINIVM Lib. 5. hist. nat. c. 27. CELLARIVS loco mox excitato putat, sacris N. T. scriptoribus unam hanc Asiæ notionem placuisse. At ego quidem, non unam, sed præcipuam dixissem. Locis enim rite perlectis, S. Lucam nomine Asiæ nonnunquam partem provinciæ mediam circa Ephesum & Lydiam, id est, strictiorem indicasse, existimo. Pertinuit ad proconsularem Asiam Mysia, Caria, Lydia, Phrygia, teste CICERONE *orat. pro Flacco* c. 27. quibus a recentioribus multo plures adduntur ditiones: Nempe Ionia, Troas cum Aeolide, ab AENEA SYLVIO c. 60. *de Asia minore*. Rerum periti facile lapsum SYLVII subodorantur, quo nomina, non regiones, præter rem adauxit. Est enim *Phrygia minor* ea, quæ Troas cum Aeolide, *Ionia* autem, quæ Lidia posthæc & Caria. Evolventi autem Act. II, 9. patebit,

Quæ Asia in N. T. libris putetur.

Phrygiam & Pamphyliam ab Asia distingui. Nec frustra Paullus pariter & S. Lucas, quoties Ephesum resque a se Ephesi gestas allegant, Asiam citant, 2. Cor. I, 8. Act. XIX, 10. 22. 26. 27. c. XX, 4. 16. 18. 27. Fuit enim Ephesus Asiæ proconsularis metropolis, ipsius Proconsulis sedes, ubi ius dicere solebat; quo factum est, ut tractus circa Ephesum strictiori sensu Asia diceretur.

§. VI.

Phrygia ad Κοινον της Ασιας pertinuit.

Ad proconsularem itaque Asiam pertinuit *Phrygia*, id quod non solum CICERO l. c. omnesque Geographi antiqui, sed & situs Colossarum, Laodiceæ, Hierapoleos, aliarumque urbium Phrygiæ ad oculum commonstrant. Numi referentes nomina urbium Phrygiæ, in primis Laodiceæ, mentionem simul faciunt τȣ κοινȣ της Ασιας; quod manifesto est indicio, relatam olim fuisse Phrygiam ad Asiam, & ad huius concilia ludosque publicos & Sacra admissam. In numis Laodicenorum legitur, ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΩΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, porro ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΣΜΙΡΝΑΙΩΝ. Smyrnam enim cum Epheso de principatu contendisse, in vulgus notum est. Hierapolitanorum numi luculentissime testantur, quod Hierapolis Phrygiæ ad κοινον της Ασιας Ephesi habitum pertinuerit. In gazophylacio Brandenburgico reperivit BEGERVS numum, facie velata pariter & laureata ex hac, ex aversa parte autem simulacro victoriæ condecoratum, in cuius margine legitur ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΥΑ. Sunt autem posteriores duæ voces a chalcographo male expressæ, siquidem pro Ομονοια posuit ΟΜΟΝΥΑ & particulam και per scriptionis compendium voci ΕΦεσιων adiecit. BEGERVS paullo aliter sentit, hancque Hierapolin Lydiæ regioni adscribit. Sed cum ex STEPHANO BYZ. pateat, Hierapolin πολιν μεταξυ Φρυγιας και Λυδιας fuisse, mirum non est, unam eandemque urbem ab his Lydiæ, ab illis Phrygiæ adscribi.

bi. v. *Thes. Brand.* Tom. I. p. 505. SPANHEMIVS aliud numiſma Commodi imperatoris exhibet, in quo ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ſcriptum eſt. Plures allegare poſſemus numos, cum his exhibitis conſpirantes; ſed cur adeo laboremus in confirmanda re, de cuius certitudine nemo fere dubitat. Laodicea & Hierapolis præcipuæ urbes ſunt Phrygiæ Maioris: quod ſi hæ ad ΚΟΙΝΟΝ της Ασιας pertinuerunt, Phrygiam maiorem ad eandem pertinuiſſe, nemo negabit.

§. VII.

Phrygia ipſa olim diſtribuebatur in *maiorem* & *minorem*. *Minor* ad maris Aegei littora ſita, celebritatem nominis maximam conſecuta eſt a metropoli TROIA, cuius fata triſtiſſima Poëtarum carmina toties cecinerunt. Livio audit *Helleſpontiaca*, quia ab Helleſponto proxima erat. *Maior* in continenti Aſiæ minoris obviabat, & ſi ORLENDO credimus, habuit Bithyniam ad Boream, Galatiam ad ortum, Pamphyliam Lydiamque ad meridiem, Myſiam ad occaſum. vid. *Orbis Sacr. & prof.* Tom. I. p. 138. Alii exiſtimant, a ſeptentrione Phrygiam habuiſſe fines Bithyniæ conterminos Galatiæ, a meridie Cariam Lyciamque, ab occaſu Lydiam & Ioniam, ab ortu ſolis regnum Amyntæ, Cappadociam & Lycaoniam. Non miramur, Geographos in deſcribendis Phrygiæ finibus non conſentire: STRABO enim dudum obſervavit, nihil difficilius eſſe, quam fines Bithynorum, Myſorum, Phrygum, diſtinguere, quia innumeræ fere mutationes, aliis alias regiones obtinentibus, omnes terminos vagos incertosque reddiderint. Meminit eiusdem in maiorem & minorem diviſionis STRABO, edit. Pariſ. p. 571. recent. p. 856. Φρυγια τε γαρ η μεν καλειται μεγαλη, ης ο Μιδας εβασιλευσε, και ης μερος οι Γαλαται κατεσχον· η δε μικρα, η εφ' Ελλησποντω, και η περι τον Ολυμπον, η και επικτητος καλειται. *Nam Phrygia alia vocatur magna, cuique rex fu-*

Phrygiæ diviſio in maiorem & minorem.

it Midas, & cuius partem Galatæ occupaverunt: alia parva, quæ Hellesponto imminens, circa Olympum est, & Epictetus dicitur. Colossæ non ad minorem, sed ad maiorem Phrygiam sunt referendæ, siquidem in hac Mæander & Lycus flumina, ad quorum oras Colossæ iacebant, undas suas traxerunt, conf. §. 4.

§. VIII.

In Pacatianam & salutarem. Subscriptio epist. ad Timoth. prioris. Equidem in subscriptione *prioris Epistolæ S. Paulli ad Timotheum* Phrygia, ad quam Laodicea refertur, vocatur *Pacacatiana*, (απο Λαοδικειας, η τις εςι μετροπολις Φρυγιας της Πακατιανης) quo ipso sublesta fides subscriptionis huius proditur. Divisio enim Phrygiæ in *salutarem*, & *Pacatianam* adeo nova est, ut sæculo Apostolico plane fuerit ignota. Diu post concilium Nicænum, a Theodosio (*) (ut opinor) facta & inventa est, cum Christianorum cœtus eodem modo, quo omnes imperii Romani regiones, in certas partes sedesque episcopales distribuerentur. (**) Siquidem ex *Notitiis imperii* patet, Phrygiæ

(*) Sic THEODOSIVS *iunior* Phoeniciam aliter, quam olim, divisit, duasque eiusdem metropoles constituit, *Tyrum* aliam, aliam *Berythum*. *Valens* imperator divisit Cappadociam, novamque metropolin esse iussit *Tyanam*. E contrario *Iustinianus* duas Ponti provincias contraxit, postea Honoriadem & Paphlagoniam univit.

(**) Iam Apostolorum ætate episcopos sedesque episcoporum fuisse, ne pueri quidem ignorant. Sed ipsis Imperatoribus ad Christianorum sacra adductis, & ordo & sedes iuraque episcoporum, mirum in modum aucta pariter & mutata fuere. Hæc si quis negare fuerit ausus, confutet antea ELLAM DVPINIVM, de diœceseon ecclesiasticarum distributione ad formam & instituta politici regiminis facta, & præcipuis in hac mutationibus, doctissime disserentem *diss.* I. *de antiqua ecclesiæ disciplina*, §. 8. Addo verba summe venerabilis theologi ac quondam Collegæ Patronique mei honoratissimi, DN. D. SAL. DEYLINGII, in *institut. Prudent. pastoral. p.* 68. „Nam antistites, regimen civile & sæculare imitaturi, ecclesiam NB. ad exemplum „Imperii Romani in varias diviserunt diœceses, & provincias, sub prætextu or„dinis & decori. Et quemadmodum in statu politico diversa erat Recto„rum dignitas, ita magna etiam dignitatum & antistitum dissimilitudo in„troduci cœpit.„ *Hæc ille.* Inprimis doctissima atque elegantissima est Illustris & per omnem fere Europam Celeberrimi DN. IO. IAC. MASCOVII observatio: „Initio statim notandum, ecclesiasticam politiam, qualis flo-

Phrygiæ minoris & maioris septimam & octavam sedem in diœcesi Asiana fuisse, v. ORLENDI *orbis sac. & prof.* T. I. p. 138. & SPANHEMII *introd. in Geograph. sac. p. 148.* Notitiæ itaque imperii orientalis & ecclesiæ, Pacatianam Phrygiam referunt, antiquiora vero monumenta plane silent. Patet hinc ratio, cur nomen *Pacatiana* tam in Syro interprete, quam in Arabico & antiquo Latino dictæ subscriptionis translatore, frustra quæratur; quia scilicet in antiquis apographis lecta non est subscriptio epistolæ Paullinæ. sed vel tota vel ex parte, a recentiori manu adscripta. *Nicæna* Synodus, observante ORLENDO l. c. unam duntaxat Phrygiam commemorat; *Cplitana* prima Pacatianam a salutari distinguit; *Chalcedonensis* Laodiceam vocat metropolim Phrygiæ Pacatianæ, Synnadam Phrygiæ salutaris. (*) Interea annotasse iuvabit, Pacatianæ Phrygiæ metropolim fuisse Laodiceam, quo honore in sublesta illa subscriptione etiam condecoratur. Variat autem nomen Pacatianæ, nam in BEVEREGIO *tom. I. can. concil.* p. 553. legitur Καπατιανης Φρυγιας, quam lectionem alibi etiam observavit CELLARIVS in *dissert. de itineribus S. Paulli §.* 15. & ORLENDVS *in Orbe sacro & profan.* tom. I. p. 189. *In Notitia Leonis sapientis*, a Beveregio, Goaro, aliisque evulgata, exhibentur nomina XIX. urbium ad Phrygiæ Pacatianæ provinciam pertinentium, quas inter nomen Colossarum vel Chonarum frustra quæsivimus. Hierocles Grammaticus triginta nouem urbes recenset, quarum sexta Colossarum nomine venit. v. ORLENDVS *in orbe sacr. & prof.* tom. I. p. 141.

„rente imperio Romano adornata fuit, ad instar distributionis civilis, in plerisque institutam antiquitus fuisse. - - Et quum a Constantino M. nova „Imperii divisio instituta, Episcopi urbium, in quibus Præfecti prætorio essent, in eadem diœcesi, novas sibi prærogativas (*addo titulos & nomina*) vindicavere v. *diss. de primatibus Germanic.* § 2 add. IOSEPHVS MOTTA, *de iure metropolit.* §. 44.

(*) *Ephesina* nominat Constantium, Episcopum Phrygiæ Pacatianæ. v. CAROLVS a S. PAVLLO in Geogr. sacr. p. m. 232.

§. IX.

Colossarum situs ad Lycum fluvium.

In Phrygia maiori admodum celebres sunt fluvii *Lycus* & *Mæander*, a quorum tractu & alveo situs Colossarum recte describitur. *Gallus* flumen hos & reliquos Phrygiæ amnes superat nominis celebritate. Quia vero Colossas, non Phrygiam, describimus, de Gallo ne verbum addemus, Lycum & Mæandrum solicitius investigaturi. *Lycus* fluvius ποταμὸς εὐμεγέθης, iustæ magnitudinis a Geographo vocatus, & fabulosis Græcorum carminibus inclytus est. *Marsyam* quoque eum dictum, sed tantum in urbe Celænarum, ad quam ex summo montis cacumine suum ortum trahit, at cum extra mœnia se evolvit, maiorique vi & mole undas suas agit, Lycum nominatum, CVRTIVS Lib. III. c. I. tradit, quem SALMASIVS in *Exercit. ad Solin.* c. 40. p. 582. rectissime castigavit, ex aliis veterum testimoniis ostendens, Marsyam cum Lyco a CVRTIO misceri. MAXIMVS TYRIVS spectator utriusque fluminis fuit, Mæandri scilicet & Marsyæ, duosque hos fluvios ex uno fonte oriri, Phrygasque iisdem sacra facere, refert. Vid. CASAVBONVS *ad Strabon.* edit. nov. p. 865. Quæ fontis una origo forsitan occasionem præbuit errori, a CVRTIO commisso. Est itaque *Lycus* Phrygiæ flumen celeberrimum, quod a celeri rapidoque fluxu nomen rapacis Λύκου accepit: præterea & ad illos amnes refertur, qui sub terra per cuniculos suos ad certum spatium fluunt, inde rursus emergentes. Non solum apud OVIDIVM *Metam.* L. XV. v. 273. sed & apud HERODOTVM L. VII. c. 30. legitur, per quinque stadia Lycum sub terra undas suas volvere, inde rursus emergere, seque in Mæandrum flumen infundere. STRABO idem confirmat L. XII. edit. ant. p. 578. nov. 867. Idem HERODOTVS Colossarum urbem eo locat, quo Lycus terra conditur, (ἀφανίζεσθαι) oculorumque visum fugit: id quod SAL. VAN TILL ignorasse videtur, alias & ex eo mappas Geographicas, Colossas ad confluentiam Lyci & Mæandri

andri ponentes, redarguere debuisset, v. *Comment. in quatuor epistolas S. Paulli p. 391.* Rectissime autem ex doctissimi SMITHI itinere observavit, Colossas ab hac confluentia distare longius, quam Laodiceam, SMITHVMque Hierapoli Colossas tendentem debuisse flumen Lycum traiicere. Nec ignoravit hæc STRABO, quia Laodiceam, nequaquam vero Colossas, ad Lyci, Capri, & Mæandri, confluentiam locavit. L. XII. p. 867. Vt proinde Colossæ ad Lyci austrum & ab oriente Laodiceæ sint locandæ, eo quidem modo, ut tres maiores civitates, Hierapolis, Laodicea, Colossæ, triangularem respectum habeant, cuius basin Laodicea & Hierapolis conficiant. Teste enim SMITHO, Hierapolis ad septentrionem, Laodicea ad austrum, planitie quinque circiter mille passus lata interiecta, (quam interluit Lycus, Laodiceam tamen propius attingens,) sita est. vid. l. c. p. 35. Cum vero Colossis Laodiceam tenderet, iter septem horarum versus orientem conficere debebat. l. c. p. 39. Neglexit hæc CELLARIVS doctissimus; Colossas enim non solum ad confluentiam Mæandri & Lyci locavit, sed & Hierapolin ita descripsit, ut qui Hierapoli proficisceretur Colossas, non Lycum sed Mæandrum traiicere deberet, quod SMITHO oculari testi repugnat. Idem STRABONIS quidem locum non nescivit, inque mappa sua το ΜΕΤΑΞΥ, (Libr. 13.) ex parte observavit, nunc autem est ad SMITHI experientiam emendandus atque supplendus.

Cellarii geogr. ant. notatur.

§. X.

Vestigia atque rudera Colossarum nobilissimus SMITHVS in clivo montis reperiit, cuius accessus ipsi videbatur difficilis. v. *Notitia septem Asiæ eccles. p. 39.*

Urbs in monte.

De urbis magnitudine neque ex ruderibus, neque ex scriptorum monumentis, recte pronunciari posse, existimo. Rudera diu iacent prostrata, pulvere tecta, humo sepulta; cumque

Amplitudo urbis.

que accessus ad ea sit difficilior, nemo viatorum eà sic lustravit, ut certum de antiqua urbis amplitudine iudicium ferre potuerit. Scriptores admodum variant. HERODOTVS & XENOPHON ll. cc. vocant πολιν μεγαλην & οικȣμενην, STRABO & PLINIVS, simpliciter πολιν Φρυγιας.

Celebritas urbis. Nec putarem ego, celebritatem urbis Colossarum fuisse adeo magnam, siquidem scriptores paucissima de ea commemorant, nec fere nisi in transitu: id quod mihi in memoriam revocat locum CVRTII, ubi Phrygiam *pluribus vicis quam urbibus frequentem* refert, L. III. §. II. Magna me tenet admiratio, cum tot numi Hierapolitanorum & Laodicenorum prostent, me adhuc ne unum quidem reperire potuisse, nomine Colossarum insignitum; quod argumento est, Colossas neque adeo celebres neque amplas olim fuisse. Interim Colossensi agro sua neque fertilitas neque felicitas defuit. Laudat STRABO *lanam Colossensem*, quam Laodicenæ & colore & mollicie similem existimat: Sic enim Strabonis locum in mendo iacentem, ego quidem putarem intelligendum, (LXII. edit. ant. p. 578. nov. 867.) etsi IAC. PALMERIVS nomen Celænensium audacter satis substituat.

§. XI.

Colossarum fata sub Phrygiis Regibus. Singula fata (*) Colossarum si referre luberet, ad ultimam usque Phrygum origenem redeundum esset, de qua certi nihil constare, is facile sibi persuadebit, qui gentium populorumque origenes admodum dubias novit. Paucis quidem, sed aptis verbis totam Phrygiæ historiam condidit STRABO Lib. XII. edit. ant. p. 565. nov. p. 848. cui si credimus, Phryges Thracum sunt coloni, (p. 722. nov.) priscisque temporibus

(*) Quæ de fatis Phrygiæ in hoc §. a me strictim narrantur, prolixius digeri potuisse, me nequaquam fugit: Quam multa enim de *Midæ* nomine, pluribus Phrygiæ regibus, immo vero omnibus commune, disputare licuisset? de bello Mithridatico? &c. Sed brevitatis pariter & utilitatis studiosus, peregrina & a nostro instituto nimis remota sicco pede transire debui.

ribus suos habuerunt reges, quorum celeberrimus est *Gordius*, a quo urbs Gordium nomen habuit, pariter ac vehiculum, in Iovis templo studiose servatum. Nodum Gordium quis ignorat? v. CVRTIVS L. III. c. 1. §. 14. 15. Hunc in regno excepit *Midas*, Gordii filius, qui avaritiæ suæ gravissimas pœnas luit, dum enim cibaria a Mida contacta in aurum conversa sunt, inædia ipse confectus interiit. Egregiam fabulam! qua plebs de damno avaritiæ more veterum Paganorum, erudiebatur. Nec ignotæ sunt aliæ fabulæ de Pactolo flumine auri divite, de auribus asininis Midiæ a Phœbo vindice appositæ, deque aliis prolixe a COMITE NATALI in *Mythol.* L. IX. c. 15. expositis. Add. OVIDIVS L. XI. *Metam.* v. 100. seq.

Iudaicarum rerum scriptor IOSEPHVS, altius originem Phrygum repetit, a Gomaro scilicet, huiusque filio tertio *Thygramme*, a cuius nomine Phrygas olim *Thygrammæos* dictos existimat. Θυγραμμης δε Θυγραμμαιους, οι δοξαν Ελλησι Φρυγες ονομασθησαν. *Lib. I. Ant. Iud. c. 6. p. 21. edit. Havercamp.* Sed hæc fidei IOSEPHI relinquimus.

Pulsis Phrygum ducibus, Colossenses paruerunt Regibus Lydorum, qui vicinas urbes & gentes vi armisque sub suam potestatem redigebant. *Crœsus* rex Lydiæ omnium ore celebratur, tam propter summas, quas possedit divitias, quam propter infelicissimum quem habuit vitæ exitum. Victus enim a Cyro Persarum rege, cum Phrygia nostrisque Colossensibus, in Persarum potestatem venit, v. HERODOTVS Lib. I. a cap. 75. ad cap. 90. **Sub Lydis.**

Meminit XENOPHON L. 8. *Instit.* Cyrum, rebus Babylone compositis, satrapam regium, nomine Artacaman in Phrygiam maiorem misisse. Atque hi ipsi satrapæ regii subinde a Persarum regibus descitcentes, Phrygiæ multa damna intulerunt, uti patet ex vita Datamis a CORNELIO NEPOTE eleganter descripta. v. L. XIV. c. 2. **Sub Persis.**

Persarum regibus devictis, Colossæ imperio Alexandri M. **Sub Macedonibus.**

ſubiectæ, Macedonibus obtemperarunt. Quod ſi enim tota Phrygia Alexandro M. ſeſe dedit, teſte CVRTIO, unas Coloſſas reſtitiſſe nemo affirmabit. L. III. c. I. Poſt triſtem Alexandri M. obitum Phrygiæ maiori præfuit *Antigonus* dux, ſimul & Pamphiliæ, Lyciæ & Lycaoniæ. Non multo poſt *Eumenes* a Perdicca Phrygiam accepit, una cum omni Aſia, quæ inter Taurum montem iacet atque Helleſpontum, vid. CORNELIVS NEPOS L. 18. c. 3. Hoc interemto omnis Phrygia in poteſtatem regum *Syro-Macedonum* venit, donec tandem Romani, imperatore Scipione Africano, Antiochum vincerent, Phrygiamque & multas alias Aſiæ minoris regiones cis Taurum, Eumeni regi Pergameno traderent, id quod anno Seleucid. CXXIV. period. Iulian. 4525. factum vulgo putatur.

Sub Pergamenis. Inde Phrygia Pergameni Eumenis poſteris & ſucceſſoribus paruit, donec Mithridates Ponticus Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Phrygiamque invaderet, & ſub iugum mitteret. Vid. APPIANVS *de bell. Mithrid. p. 183. 184.*

Sub Romanis. Romani mox Mithridatem invaſerunt, ex Aſia minori ſenſim ſenſimque pepulerunt, ipſas vero Phrygiæ urbes αυτονομια donaverunt. Qua de Phrygum αυτονομια SPANHEMIVS *in orbe Roman.* p. m. 199. eruditiſſime commentatus eſt. Αυτονομοι dicebantur, qui ſuo iure ſuisque legibus & inſtitutis utebantur, etſi Romanorum poteſtati ſubiacebant. Hanc libertatem eximiam Romani bello Mithridatico decreverunt Phrygiæ, teſte *Appiano* l. c. p. 208. Pompeio quidem Aſiæ urbibus favente, v. PLVTARCHVS *in Lucull.* p. 506. Atque hæc acciderunt, ut mihi videtur, circiter anno ſeptuageſimo vel ſexageſimo ante annum Chriſti nativitatis.

Abhinc Coloſſæ totaque Phrygia maior habuit Proconſules Romanos, quorum hiſtoriam uberius texere ab inſtituto meo abhorret: quippe ego, non Phrygiæ, ſed Coloſſarum hiſtoriam condere annitor.

Gra-

Gravissima eaque pene ultima fata expertæ sunt Colossæ sub Nerone, Romanorum tyranno; (*) terræ enim motu concussæ diu iacuerunt in ruinis, teste OROSIO L. 7. c. 7. *In Asia tres urbes, hoc est Laodicea, Hierapolis, Colossæ, terræ motu conciderunt.* Factum inde est, ut a PTOLOMÆO Geographo Colossæ fuerint omissæ, observante HVGONE GROTIO: nec reædificatæ videntur prius, quam sera admodum ætate, nomine tamen in *Chonon* vel *Chonas* mutato, uti supra §. 3. ex veterum monumentis docuimus. BARONIVS ex Theodoreti argumento in hanc epistolam adfert, superfuisse Philemonis domum Colossis, eo quo Theodoretus vivebat tempore. Inde HVNNIVS & CALOVIVS coniectant, Colossas horribiliter quidem concussas, non autem penitus eversas fuisse: quo de effato penes alios esto iudicium. Observasse iuvabit, STRABONEM ex Lyci subterraneis alveis conclusisse, terram Phrygiam circa Colossas Laodiceamque perviam & terræ motibus facile obnoxiam fuisse, vicinasque urbes nobilissimas iterum iterumque dirutas & combustas, Cæsarum autem beneficio restitutas. L. XII. p. 867. Addit, cuniculos igni & aqua plenos ibidem non raros, solumque friatile & attritu facile, nulloque negotio inflammandum esse, indeque Mæandri ambages recte deduci. Quæ de fatis & historia Colossarum restant, infra §. XIV. XVI. & XX. occurrent, quo lectores nostros benevolos ablegamus.

Sub Nerone.

Philemonis domus superstes.

§. XII.

Priscis temporibus sola Phrygum gens Colossas incoluit. Constat autem, Phrygum ingenia fuisse tardiora, quæ in proverbium abierunt: *sero sapiunt Phryges*, præeunte LIVIO AN-

Incolæ Colossarum.

(*) Conferantur *Centuriatores Magdeburgenses*, ad EVSEBII Chronicon provocantes. *Centur.* I. Lib. II. c. XII. p. 502. Observant iidem, anno Neronis decimo Colossas terræ motu corruisse, quem annum summi illi viri existimant anno Christi LXVI. respondere.

DRONICO tragico. Convenit in eos, quos factorum suorum iusto serius pœnitet, iudice ERASMO *in adag. maior.* p. m. 635.

Phrygum mores & ingenia.

Satisne recte omnis Phrygum gens tardioris ingenii accusetur, nunc non dispiciemus. Mihi quidem optime notum est, Phrygas obtusiores & serviliores ubique habitos fuisse. CICERO enim in *orat. pro L. Flacco*, *Phrygem plagis fieri meliorem*, non tam ex Romanorum, quam Græcorum & Asianorum ore perhibet. Mancipia autem non nisi plagis emendanda, barbari & servilis ingenii esse, probe observat ERASMVS l. c. p. 404. Addo Græcorum diverbium, φρυξ μηδεν ηττον Σπινθαρε, laus hominis inelegantis & barbari. CVRTIVS narrat, Belonem per αντονομασιαν Phrygas & Paphlagones dixisse, quos rusticos homines dicere volebat. v. L. VI. c. XI. §. 4. quibus *venales Asiaticos* ex CICERONIS *orat. V. in Verrem* recte addideris. Sed quicquid demum sit, e Phrygibus quoque acutioris indolis homines prognatos esse, historiæ loquuntur. Quis ignorat EPICTETVM, sapientissimum

Eruditi Phryges.

& gravissimum morum doctorem? Quis nescit ÆSOPVM, lepidissimum & vaferrimum morum censorem? de quo PHÆDRVS in præf. ad L. III. recte retulit, Patriam sapientiæ suæ non obfuisse:

Si Phryx ÆSOPVS *potuit, si Anacharsis Scythes,*
Æternam famam condere ingenio suo.

Quis non laudat SIMPLICIVM, præstantissimum philosophiæ Peripateticæ præceptorem? TANTALVM alii, PELOPEM, & NIOBEN Phrygibus annumerant, sed incertis de caussis, a STRABONE indicatis, *L. XII. edit. ant. 571. nov. p. 827.* Nec defuerunt Colossensibus ad Christum conversis viri, infra pluribus commemorandi & laudandi, e. gr. PAPIAS, APPOLLINARIVS, NICETAS, &c. *Vestes Phrygianæ*, vel si codicum MSS. auctoritatem sequimur, *Phrygioniæ*, testantur

quoque

quoque, Phrygas adeo ineptos non fuiſſe. Phryges quippe, teſte PLINIO *L. 8. hiſt. nat. c. 48.* primi invenerunt, qua arte veſtes argento & auro aliisque vividis coloribus acu diſtinguerentur. Egregium ſane inventum, quod indolem populi cætera barbari ab iniuria, qua premitur, eaque longa, maximam partem vindicat. Nec poſſum, quin *lanam Coloſſenſem*, data occaſione, iterum commemorem. STRABO quippe L. XII. *edit. Pariſ. 578. nov. p. 867.* refert, Laodicenos in ſuis agris aluiſſe oves excellentiſſimas, mollitie lanarum Mileſias ſuperantes, nigri coloris ad corvorum nigredinem proxime accedentes, unde ſimul cum *Coloſſenſibus* amplos reditus haberent. His terræ Phrygiæ proventibus addendæ ſunt *lapicidinæ* Synnadici lapidis, ad Alabaſtritem lapidem accedentis: e quibus columnæ & tabulæ Romam ipſam perlatæ, magni habitæ ſunt. Erat autem Synnada urbs non adeo magna, quam campus ampliſſimus *oleis* conſitus circumdabat. v. STRABO l. c. p. 865. — De lana.

Tandem & laudandus venit Phrygum amor artis medicæ, quem comprobarunt, quod ad fanum *Cari* in pago Carura ſitum, *ſcholam medicam*, a Zeuxide poſtea & ab Alexandro Philaletha gubernatam habebant. STRABO eam vocat *διδασκαλειον Ηϱοφιλειον ιατϱων μεγα*, & cum Eraſiſtratea, quæ olim Smyrnæ floruit, ſchola Hiceſii comparat. L. XII. p. 869. Nec ignotæ ſunt *aquæ calidæ Hierapolitanæ*, de quibus SMITHVS *de ſeptem Eccleſiis Aſ.* p. 36. refert, *quod Balneum, unde ſcaturiunt, marmore candido ſtratum viderit, in quod columnæ, quæ id olim circumambiebant, coniectæ; Aquæ autem continuo fluxu canaliculos ſibi excacavere, quibus ſupergreſſæ, albicantis terræ ſuperficiem in tophum maxime friabilem convertunt.* — Schola medica.

Mutata eſt Phrygiæ facies, cum Iudæi multi iuſſu Antiochi, Seleuci nepotis, in Lydiam, Phrygiam ex Meſopotamia & Babylonia migrarent. Bis mille familiæ iudaicæ in duas has Aſiæ minoris ditiones, cum omni ſupellectili, advenerunt, agros colendos domosque ædificandas acceperunt, ſuisque le- — Iudæi in Phrygiam veniunt.

 gibus

gibus Mosaicis, gaudentes *αυτωνομια*, vixerunt. IOSEPHVS servavit epistolam Antiochi ad Zeuxidem Patrem scriptam, huius migrationis Iudaicæ testem. Nac ingratum erit lectoribus nostris, eam totam legere.

Ει ερρωσαι, ευ αν εχοι, υγιαινω δε και αυτος. Πυνθανομενος τους εν Λυδια και Φρυγια νεωτεριζοντας, μεγαλης επιστροφης ηγησαμην τουτο μοι δεισθαι· και βουλευσαμενω μοι μετα των φιλων τι δει ποιειν, εδοξεν εις τα φρουρια, και τους αναγκαιοτατους τοπους των απο της Μεσοποταμιας και Βαβυλονιας, Ιουδαιων οικους δισχιλιους συν επισκευη μεταγαγειν. Πεπεισμαι γαρ ευνους αυτους εσεσθαι των ημετερων φυλακας, δια την προς τον Θεον αυτων ευσεβειαν, και μαρτυρουμενους δε αυτους υπο των προγονων εις πιστιν οιδα και προθυμιαν εις α παρακαλουνται. Βουλομαι τοινυν και περ εργωδους οντος τουτους μεταγαγειν υπισχομενος νομοις αυτους χρησθαι τοις ιδιοις. Οταν δ' αυτους αγαγης εις τους προειρημενους τοπους, εις τε οικοδομας οικιων δωσις αυτοις τοπον εκαστω, και χωραν εις γεωργιαν και φυτειαν αμπελων, και ατελεις των εκ της γης καρπων ανησεις επι ετη δεκα. Μετρεισθωσαν δε, και αχρις αν τους παρα της γης αρτους λαμβανωσιν, σιτον εις τας των θεραποντων διατροφας. Διδοσθω δε και τοις εις τας χρειας υπηρετουσι το αυταρκες, ινα, της παρ ημων τυγχανοντες φιλανθρωπιας, προθυμοτερους παρεχωσιν αυτους περι τα ημετερα. Προνοιαν δε ποιου και του εθνους κατα το δυνατον, οπως υπο μηδενος ενοχληται.

Si vales, bene est, ego quoque valeo. Cum intelligerem quosdam in Lydia & Phrygia rebus novis studere, magnopere hoc mihi prospiciendum curavi, ac consultanti mihi cum amicis, quid facto sit opus, visum est in castella & loca, maxime necessaria transferre ex Mesopotamia & Babylonia Iudæorum bis mille familias cum eorum suppellectili. Credo enim nostrarum rerum custodes fore benevolos, tum propter eorum erga Deum pietatem, tum quia novi eis a maioribus nostris testimonium datum fidei & prompti obsequii in eis, ad quæ rogantur. Itaque hoc volo, quamvis eos traducere laboriosum sit, fide illis data, ut suis legibus uti permitterentur.

Cum

Cum autem eos in ea, quæ dixi, loca transtuleris, dabis singulis ad ædificandas domos locum, & agrum ad agriculturam vinearumque sationem, & immunitatem frugum terræ concedes in annos decem, ac donec terræ fruges perceperint, demensum frumentum accipiant in famulorum alimoniam: illisque detur, qui eis inservient, quantum opus erit, ut benigne a nobis habiti, studiosiores se rerum nostrarum præbeant. Da etiam operam, quoad eius fieri potest, ut ei genti a nemine incommodetur. Vid. Tom. I. edit. Haverc. pag. 599. L. 12. ant. c. 3.

Continent profecto hæ literæ laudes eximias populi Iudaici, cui etiam multo honori & usui esse debuerunt. Deinde, cum Romani rerum summa potirentur, eadem privilegia Iudæis in Asia minori degentibus servarunt, quamvis Græci Asiam incolentes sæpius Romanos rogarent, ut Iudæos, pecuniam ex Asia Hierosolymis deportantes, cultumque peregrinorum Deorum omnium abominantes pellerent. Augustus imperator autem edicto prohibuit, ne quis Iudæis molestiam crearet, αυτονομιαν iis concessam ne læderet, sacram pecuniam collectam Hierosolymas mittendam ne aufferret. Edictum legitur apud IOSEPHVM L. XVI. *Ant. Iud.* c. 6. §. I. edit. Haverc. p. 799. Nec quieverunt Asiani, sed sub Marco Agrippa denuo Iudæos veteri odio adorti, pellere studuerunt. Restitit conatibus ipse Agrippa, ac insuper Iudæis concessit, ne quis Prætor Iudæum Sabbatis compelleret ad vadimonia præstanda. v. IOSEPHVS l. c. p. 800. & L. XII, c. 3. p. 597. Quinimo Vespasianus & Titus, licet longa bella cum Iudæis gesserunt, iisdem tamen in Asia minori pristinas immunitates magnanimi concesserunt. Atque sic constabit, quare S. Paullus Apostolus in epistola ad Colossenses de Iudaicis rebus, horumque erroneis doctrinis subinde mentionem fecit: quia scilicet multa Colossensium civium pars, Iudaicæ religioni addicta, atque ex hac ad Christianam traducta fuit. Coloss. II, 16 18.

Cæte-

Cur Iudæos Deus per omnem terrarum dissipavit?

Cæterum, non possumus non admirari divinam sapientiam, quæ Iudæorum infortunatam dissipationem ad optimum finem direxit. Recte me illam dissipationem dixisse infortunatam, concedet, qui novit, Palæstinam Iudæis patriam a Deo datam, quique divinarum comminationum de eiiciendis ex Canaan & per omnes populos dissipandis Iudæis meminerit. Deut. XXX, 18. c. XXVIII, 63. 64. Eam vero ad optimum finem dirigendam fuisse, docuit eventus; Siquidem a Iudæis, inter omnes fere gentes viventibus, gentium animi ad accipiendum Evangelium præparati fuere. Gentes idolis deditæ, Iudæorum religionem nauci floccique habuerant prius, quam eam cominus conspexerant: imo vero etiam omnem populum Israëliticum abominati fuerant ante, quam ingenia moresque eius cognoverant. Difficilior aditus illa ætate patuisset ad gentes apostolis, e Iudæorum prosapia oriundis: difficilior fuisset conversio gentium, populum Iudaicum pariter & eorum religionem plane ignorantium atque spernentium. Nunc autem iis nec adeo ignotæ erant Iudæorum cærimoniæ, nec adeo exosæ, postquam per omnem terram Apellæ dissipati αυτονομιαν obtinuerant, suisque institutis vivere poterant. Dispersum populi Iudaici dixerim itaque ego præcursorem evangelii, qui per totum terrarum orbem ortum lucis annunciare, animosque ad promtius audiendum Dei verbum præparare debuit.

§. XIII.

Religio Colossensium gentilis.

Colossenses eandem idololatriam, quam omnes Phryges, sine dubio commiserunt, priusquam ad verum Deum colendum ab Epaphra adducti sunt. Constat autem inter idola sua habuisse *Cybelen* Deam, matrem Deorum, Saturni uxorem: Quam *Rheam*, *Magnam Deorum matrem*, *Vestam* antiquiorem, *Bonam Deam*, *Pessinuntiam* Deam, *Idæam* ab Ida monte, *Berecynthiam*, *Dyndimenen*, a Dyndimo monte Phrygiæ, *Sipylenen*, &c. nominant.

Cybele Dea.

nominant. Pingitur ut matrona honesta, turritam coronam capite gerens, clavem manu tenens, currui a bovibus tracto insidens. Reliqua, quæ de *Gallis* Reæ sacerdotibus, de *Megalesiis* festo in eius honorem habito, de *tympanis* & *cymbalis*, quorum strepitu in sacris suis cohonestabatur, de *tibiis Phrygiis* modoque Musicorum Phrygio, deque aliis huc pertinentibus dici poterant, Mythologis & Poëtis concedimus, ne extra oleas vagari uideamur. Laudamus & allegamus PITISCI *Lexic. antiq. Tom. I.* p. 621. KIPPINGII *Antiq.* L. I. c. 2. §. 7. GVTHBERLETHI *Oper.* Tom. II. p. 129. 136. GYRALDI *Synt. deor.* L. IV. p. 142. aliosque quam plurimos, e. gr. NIEVPORTVM, POMEYVM, NATALEM COMITEM, ex antiquis ARNOBIVM, LACTANTIVM, AVGVSTINVM, &c.

Hanc ipsam Cybelem a Colossensibus & Laodicenis cultam fuisse, SALOMO van TILL recte affirmat ex numis Laodicenorum, in quibus Dea mater conspicitur. v. *comment. in quatuor Epist. Paullin. p. 321.* Provocat ad numum Sabinæ, a Laodicenis cusum, in cuius aversa parte Mater Deorum conspicitur capite velato, modium capiti impositum gerens, succincta intra mammas, ad pedes duas Leænas habens, cum Epigraphe : ΑΓΡΙΠΠΙΝΟΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΖ ΛΑΟΘΙΚΕΩΝ.

Post Cybelem, summa superstitione *Attin* coluerunt Phryges, de quo iuvene formosissimo fabulæ ferunt, Cybelen, cum videret Attin nymphæ Sangaritidis amore nuptiisque detentum, furorem ei immisisse, ut pudenda sibi ipsemet amputaret, ne scilicet cum alia concumbere posset. Nolo singula referre, Christianis auribus molesta, v. VOSSIVS *de idololatr.* L. II. 53. ROSINVS *in Ant. Rom.* L. 3. 27. PITISCVS *in lex. sub voce Gallus.* CLASENIVS *Theol. gent.* L. 3. c. I. *in Gronovii thes. ant.* Tom. VII. Vnum hoc observasse iuvabit, sacerdotes Cybeles & Attidis se ipsos exsecuisse, Gallosque dictos fuisse. Hinc AVGVSTINVS de civit. Dei L. Attis.

VII. 26. *At vero ista magna deorum mater etiam Romanis templis* (nam Scipio Nasica simulacrum Deæ Phrygiæ Romam Pessinunte duxerat, v. AMM. MARCELLIN. L. 22.) *Castratos intulit, atque istam sævitiam moremque servavit, credita vires adiuvare Romanorum, exsecando virilia virorum.* Hisce idolis iungimus cum SALOMONE van TILL simulacrum *Iovis*, Cybeles filii, siquidem in numi Hadriani parte aversa cernitur Iupiter stans, sinistra sceptrum tenens, dextræ autem exporrectæ insidet aquila, cum epigraphe : ΛΑΟΔΙΚΑΙΩΝ. Eodem modo Iupiter conspicitur in alio numo, cuius inscriptio est: ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΘΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, vid. l. c. p. 321.

Iupiter.

Dubium non est, Colossenses etiam aliis diis deabusque, pro more idololatrarum, litasse, de quibus pauca hæc nobis constant. Inter Laodiceam & Cararam pagum, limitem Cariæ & Phrygiæ, fanum fuisse τȣ ΜΗΝΟΣ *mensis*, (qui ΚΑΡΟΣ *Carus* dictus) multa cærimonia & veneratione cultum, memoriæ prodidit STRABO L. XII. p. 869. Qui insimul scholæ cuiusdam medicæ ad hoc templum extructæ memoriam servavit, de qua §. 12 egimus. Possunt inde exponi, quæ in *Græcorum Menæis* de hoc idolo narrantur. Pii scilicet martyres, *Philemon*, *Archippus*, & *Appia*, ab Androclo, Ephesi præside, iubebantur sacrificare τῳ ειδωλῳ τῳ καλȣμενῳ ΜΗΝΑ. Id cum recusarent, gravissimo supplicio martyrioque perierunt, vid. *Menæa d. 22. Nov.* p. 178.

Mensis Deus.

Habuit etiam Αρτεμις, *Diana*, templum suum Colossis, in quo cum aliquando Græci convenissent die Dianæ farto, pii martyres Philemon & Archippus & Appia, media in templi nave verum Deum canere & laudare cœperunt, gentiumque idololatriam recusarunt. v. *Menæa Græcorum d. 22. Nov.* p. 178.

Diana.

De *Apolline*, Hierapoli olim culto, non inique cogitat SMITHVS *notit. septem eccles. Asiæ* p. 36. Cum enim aquæ calidæ urbi Hierapoli multam celebritatem olim conciliarint, a vero proximum est, Apollinem medicorum Deum ibidem adora-

Apollo.

adoratum fuisse. Vidit etiam laudatus Anglus in ruderibus Amphitheatri ornamentum portæ, cui inscriptum erat: ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓ. Confirmantur hæc ex DAMASCIO apud PHOTIVM, qui templum Apollinis ad Plutonium Hierapolitanum ædificatum retulit.

De *Baccho* & *Plutone*, ab Hierapolitanis culto, certiores nos reddit numus antiquus, in cuius aversa raptus Proserpinæ exprimitur, in priori Bacchi caput hedera condecorati. v. BEGERI *thesaur. Brand.* tom. I, p. 505. En tibi brevem delineationem miserrimæ illius conditionis, qua Colossenses prius, quam nomina sua CHRISTO dabant, premebantur. Quam vere dixit itaque Paullus, Deum Colossenses ex potestate tenebrarum eripuisse: ος εῤῥυσατο ημας εκ της εξουσιας τȣ σκοτȣς. Col. I, 13. Ad quæ verba b. BALDVINVS egregie commentatur: *Intelligit Paullus noster per potestatem tenebrarum omnem conditionem hominum sub statu peccati ante conversionem, qui sane est miserrimus. Quemadmodum enim in tenebris neminem agnoscimus, nullas formas discernimus, ingratum, pro grato accipimus, nuspiam firmiter consistimus, incerti vagamur nec sine offensa ambulamus: Sic & ante conversionem homo non recte cognoscit Deum, non discernit falsam religionem a vera, ignorat verum Dei cultum, sibi ipsi viam quærit ad vitam; sed ubique offendit.* v. *comment.* in epist. Paullin. p. m. 1048. Hoc tenebrarum regnum in nulla alia re magis, quam in idolorum veneratione observatur. Cogita enim, quot & quales Deos Deasve cæca Colossensium gens olim adoraverit, quot & quantas hostias iisdem mactaverit, nec ullus hærebis affirmare, fuisse hanc tenebrarum potestatem, a qua per veri DEI misericordiam liberata tandem fuit.

Bacchus & Pluto.

Vsus nostræ observationis in interpretatione epistolæ Paullinæ ad Coloss.

§. XIV.

Apostolis IESV omnem terrarum orbem peragrantibus, Asia minor fuit fere præcipua, quam sanctissima religionis Christianæ luce collustrare, & ab avita superstitione profanisque

Conversio Colossensium ad Christum.

que ritibus avocare studuerunt sancti illi nuncii. v. Act. XIX, 10. In hac Phrygiam fuisse sitam, supra docuimus: quo factum est, ut & hæc felicitatem illam, qua omnis Asia minor gaudebat, obtineret, feliciterque sacra Christianorum amplecteretur.

De tempore conversionis.

De tempore huius conversionis non liquet, nisi quod coniectando assequi contigit. Cum Apostolus S. Paullus Romæ in vinculis, iisque primis, teneretur, ecclesiæ Colossensium & reliquarum Phrygiæ urbium iam dudum collectæ erant pariter & firmatæ. In his enim vinculis, quam manu tenemus epistolam ad Colossenses scribit, in qua fidem constantiamque eorundem laudat; quod luculento est testimonio, ecclesiam Colossensium ante primam S. Paulli captivitatem, fuisse ab Epaphra fundatam, hoc est, ante Neronis æram, cuius regni primus annus cadit in A. C. LVIII. Est præterea verisimile, Colossenses illo, quo S. Paullus Ephesi tres annos commorabatur, Act. XX, 31. nomina sua Christo nondum dedisse, quia Paullus neminem Colossensium de facie conspexerat, cum nostram epistolam exararet, Col. II, 1. Cum autem facillimus fuisset Colossensium excursus ad Paullum Ephesi degentem, quippe qui ab Ephesiis erant proximi, sæpiusque cum his in idem κοινον της Ασιας convenissent, verisimile est, tunc temporis nondum conversos fuisse Colossenses, quia absque dubio Paullum visitassent atque vidissent. Cadit autem annus tertius, isque ultimus, quo S. Paullus Ephesi commoratus est, in annum Claudii XII. qui est A. C. LIV. Vnde coniicimus, Colossenses ante A. C. LIV. conversos non fuisse. His rite supputatis, constat, Colossenses ad Christianorum castra transiisse intra quadriennium, ab A. C. LIV. incipiens. Nihil itaque superest, quam ut præcise annum conversionis, qui A. C. LVIII. non excedit, definiamus: id quod nostras vires superare, candide fatemur, quadriennio hoc feliciter detecto contenti.

Equi-

Equidem diu ante S. Paullus fuerat in Phrygia & Galatia, teste Luca, Act. XVI, 6. prohibente autem Spiritu divino, ne hisce terris doctrinam Christi annunciaret, Colossenses neque adiit neque vidit. Sed cur quæso Deus Colossenses illo tempore ab Evangelio arcuit?

De absoluto decreto ad Act. XVI, 16.

Qui *absolutum decretum* (ut loqui solemus in scholis) affirmant, gratiam vero divinam universalem negant, sæpissime ad Act. XVI, 6. provocant, ut inde confirment, vocationem ad ecclesiam ab absoluto Dei decreto, populo huic gratiam negante, illi donante, pendere. Sic IO. BRAVNIVS, non omnes esse in fœdere gratiæ probaturus: *Christus prohibuit*, inquit, *ne Apostoli abirent in vias gentium*, Matth. X, 5. *Et ne gratiam Dei annunciarent in Asia*, Act. XVI, 6. 7. *v. doctr. fæder.* p. 419. Eandem sententiam CASP. STRESO, Anhaltinus, tenuit, nisi quod cogitata sua aliis multo subtilioribus, idem tamen significantibus, verbis expresserit: *Deus non impedivit cursum Evangelii, dum impedivit, ne Paullus in Asia prædicaret Evangelium, sed potius promovit. Hoc enim est promovere cursum Evangelii, cum eo mittitur evangelium, ubi CONSILIVM Dei fert, ut evangelio BENEDICATVR*, v. *Comment.* ad Act. tom. I. p. m. 575. Existimant igitur Calviniani crassiores, Deum noluisse Colossensium conversionem, ideoque Apostolos aditu ad Phrygiam prohibuisse, ut sic pateret, Deum servare & perdere velle pro absoluto quodam decreto & beneplacito. Ingenue profiteor, me viros cætera doctos mirari, quod sophisticam suam strophen, petitionem puta principii, non animadverterint. Quod si enim darem, Deum prohibuisse, (quod revera distulit modo) quæstio tamen manebit, num ex absoluto decreto prohibuerit? Hæc etenim est quæstio, quam ob causam Deus illud prohibuit? Calviniani causam in absoluto decreto, nos vero in voluntate Dei consequente quærimus. Ex antecedenti voluntate, qua omnibus hominibus bene cupit DEVS, Colossensibus Evangelii annunciationem non

negabat, ſed ex conſequenti, qua illis dona ſua offert, quos eadem amplexuros prævidet. Ceterum DEVS non prohibuit abſolute, ſed diſtulit in commodiora tempora. Deus nempe omniſcius vidit, Phrygas illo tempore Evangelio credituros non fore: ne itaque Apoſtoli operam perderent, ablegavit eos interim in Macedoniam, ubi ſemen verbi Chriſti Ieſu lætiſſimam meſſem pollicebatur. Recte hinc b. GERHARDVS diſtinguendum cenſuit *inter gratiam vocationis negatam, & dilatam, minimeque ex vocationis dilatione inferendum, quod gratioſa Dei omnium hominum ſalutem deſiderantis vocatio non ſit univerſalis.* V. *comment. ad Act. XVI, 6.* p. 458. Conſimili ratione b. DANNHAVERVS reſpondit: Diſtingue inter vocationem negatam & retardatam: inter vocationis ſubſtantiam & circumſtantiam moræ, gradus, ordinis, &c. vid. *hodomor. Calvin.* p. 1931. (*)

Explicatio Act. XVIII, 23.

Venit poſthæc S. Paullus in Phrygiam & Galatiam, Act. XVIII, 23. Chriſtique aſſeclas in fide confirmavit, more medicorum, pharmaca confortantia ægrotis propinantium; επιϛηριζειν enim hanc emphaſin ſecum fert. Quia vero S. Paullus in epiſtola ad Coloſſenſes cap. II, 1. conceptis verbis aſſerit, ſe neque Coloſſis neque Laodiceæ fuiſſe, prona eſt coniectura, loco citato per Φρυγιαν vel minorem Phrygiam a Paullo frequentatam, vel maioris partem Borealem Galatiæ vicinam, eſſe intelligendam. Erravit itaque GENTIANVS HERVETVS, Theodoreti interpres, recte ſic iudicante CALOVIO, in *bibl. illuſtrat.* tom. IV. p. 797. quod in argumento epiſtolæ præmiſſo, Paullum iam antea Coloſſenſes vidiſſe & docuiſſe retulit. Erravit & ipſe THEODORETVS, qui ex eodem loco, Act. XVIII, 23. concludere voluit, Paullum antea Coloſſis quoque

(*) Omni hac diſputatione carere potuiſſemus, ſi cum THEODORETO facere, Paullumque Aſia, non Phrygia, excluſum credere voluiſſemus. Sic enim: ϐδε ειποι, inquit, τις αν, ως υπο της θειας εκωλυθησαν Χαριτος τϐτο πραξαι. Περι μεν γαρ της Ασιας και της Βιθονιας ειπεν ο μακαριος Λϐκας κεκωλυκεναι αυτϐς το Πνευμα αγιον. Περι δε γε της Φρυγιας ϐδεν τοιϐ τον εφη.

quoque fuisse: sed ut hoc cum Col. II, 1. conciliaret, fingit, Paullum, cum hanc ad Colossenses epistolam scriberet, praecipuas Phrygiæ urbes nondum vidisse, etsi in Metropoli, Laodiceæ, evangelium prædicaverit. Quam rationem recte dixeris infirmam, cum TILLEMONTIO, *memoir. de l' hist. eccl.* tom. I. p. 605. Vnde enim THEODORETVS dicta sua confirmat? Nonne Paullus ipsos Laodicenos metropolitanos iis, quos nunquam viderat, annumeravit? Col. II, 1.

§. XV.

Conversionis auctor S. Epaphras.

Non per ipsum S. Paullum, sed per EPAPHRAM, Colossenses ad Christum adductos esse, ex Col. I, 7. haud immerito colligitur, ubi Apostolus affirmat, Colossenses ab Epaphra didicisse, quæ de fide & amore Colossensium antea prædicaverat, v. 4-6. Consimili ratione c. IV, 12. Epaphras laudatur a summo zelo & studio, quo in omnes Phrygiæ Pacatianæ incolas, Colossenses puta & Laodicenos & Hierapolitanos ferebatur. Nec est, ut miremur, hominem, in Apostolorum ordinem non allectum, tanto cum successu evangelium Colossensibus annunciasse. Erant enim Apostoli, iudice WALONE MESSALINO, (sive *Claudio Salmasio*) *de Episc. & Presbyt.* p. 40. duplicis generis. Alios miserat ipse Iesus ἀμεσως; alios miserant ii, quos Iesus ad Apostolatum vocaverat. Hi secundi ordinis Apostoli erant συνεργοι, quorum ope & ministerio Apostoli in docendis & confirmandis gentibus utebantur, uti *Timotheus*, *Titus*, *Lucas*, *Linus*, *Marcus*, *Ioannes*, *Epaphroditus*, nosterque EPAPHRAS. Sic *Epaphroditus*, Phil. II, 25. dicitur Philippensium ἀποστολος, quia Paullus eum miserat ad ecclesiam Philippensem confirmandam, presbyterosque in ea constituendos. Sic Paullus 2. Cor. VIII, 23. Titum & alios fratres vocat ἀποστολους ἐκκλησιων. Sic *Timotheus* a Paullo nunc Ephesum, nunc Thessalonicen, nunc Corinthum, mittebatur, ut singulas ecclesias has peragraret, in fide & doctrina

Epaphras, Apostolus.

Phil. II, 25.

2 Cor. VIII, 23.

na confirmaret, atque ſic Apoſtoli munere probe defungeretur. Non dubito, EPAPHRAM his Apoſtolis adnumerare, quia munus Apoſtolicum inter Phrygas, inprimis & Coloſſenſes, feliciſſime obiit. Vocatur ideo S. Paulli συνδȣλος, conſervus, isque αγαπητος, Col. I, 7. nec non δȣλος Χριςȣ, Col. IV, 12. quem titulum alias Paullus ſibi & reliquis Apoſtolis vindicat; denique & πιςος διακονος τȣ Χριςȣ inter Coloſſenſes, Col. I, 7. qui tituli ſinguli de Epaphræ apoſtolatu aperte ſatis loquuntur.

Epaphras non eſt idem, qui Epaphroditus.

Eſt longa diſputatio inter eruditos, ſitne EPAPHRAS idem qui *Epaphroditus* a S. Paullo laudatus. Phil. II, 25. Sunt qui affirmant, ſunt qui negant. HVGO GROTIVS ad l. c. putat, Epaphroditum contracte Επαφρας vocari, nam in eum modum contrahi nomina dixerat in *præfamine ad Lucam*. Repetit opinionem ſuam GROTIVS in *præfamine ad annotata in epiſtolam ad Coloſſenſes*, nec non ad Coloſſ. I, 7. ubi nomen Δημητριος contracte Δημας pronunciatum addit. Pluribus ſententiam GROTII ornare ſtuduerunt ABRAH. BERCELIVS in *præf. ad Epicteti enchir.* & CAR. DAVBVZIVS L. I. *de teſtimonio Chriſti apud Ioſephum part. 3. ſ. 8. ſeqq.* nec non alii, quorum nomina citare non libet, e. gr. FABRICIVS in *luce ſalutari*, c. 5. p. 86. His obviam iverunt viri doctiſſimi, quos inter CALOVIVS in *bibl. illuſtr.* tom. IV. p. 796. ITTIGIVS in *hiſtoria eccleſ. ſæculi primi* p. 371. nomina ſua profeſſi ſunt. Nec & ego intelligo, quibus argumentis Grotiana coniectura ſatis confirmari queat. Legi & relegi DAVBVZII apologiam, ſed nihil certi in ea deprehendi, niſi quod hypotheſi ſuæ, de adulatione Ioſephi erga Epaphroditum, ubique ſervierit. Aſſeruerat ſcilicet, FL. IOSEPHVM ideo honorificentiſſimum de Chriſto tuliſſe teſtimonium, quia librum ſuum de antiquitatibus Iudaicis ſuaſu & autoritate *Epaphroditi*, hominis Chriſtiani, Neronis liberti, conſcripſiſſet, cui & eundem dedicaſſet. Atque hunc ipſum eſſe Epaphroditum, cu-

ius

ius S. Paullus Phil. II, 25. meminit, exinde DAVBVZIVS probare satagit, quia uterque servus, uterque Phryx, uterque in Neronis regia notus. Hoc ut denuo confirmaret, necesse habebat, ut in GROTII partes abiret, Epaphramque cum Epaphrodito commisceret. Rationes a GROTIO & DAVBVZIO allatæ sunt pauciores, eæque infirmiores, ad quas breuissime respondebo. 1.) Etsi concedam, nomen Επαφροδιτȣ contracte Επαφραν sonare posse, inde tamen, præter possibilitatem, probatur nihil: nos autem de facti probabilitate seu verisimilitudine disputamus, non de possibilitate. 2.) Phrygas ut plurimum servos fuisse habitos, supra §. 12. ipsimet docuimus: sed quis inde temere concludet, Epaphram Neronis libertum fuisse, quia gente Phryx? 3.) Sufficit, inter Epaphroditum & Epaphram intercessisse discrimen satis magnum, tam intuitu nominis, de quo iam monui, quam intuitu patriæ & officii. Epaphroditus enim apud Philippenses, Phil. II, 23. c. IV, 18. Epaphras autem apud Colossenses, Col. I, 7. c. IV, 12. & quidem uno fere eodemque anno captivitatis S. Paulli primæ, habuit rem suam, munus & officium: tandem Epaphroditum Philippenses, Phil. IV, 18. Epaphram Colossenses miserant. Atque hæ rationes reddunt verisimilius, Epaphram alium fuisse quam Epaphroditum.

Cæterum multis laudibus EPAPHRAM condecoravit S. Paullus Apostolus. Laudat eum a *fidelitate*, quæ magistri atque doctoris summa virtus est, Col. I, 7. quamque Colossensibus vel ideo commendat, ne putarent, Epaphram vel non omnia, vel non eo, quo S. Paullus modo, ipsis annunciasse doctrinam Evangelii. Laudat eum a singulari *amore*, quo in Colossenses ferebatur, Col. IV, 12. nec non ab ardentissimis *precibus*, quibus apud immortalem Deum pro ipsis intercedere solebat. Laudat eum a singulari *zelo* & fervore, quo salutem Colossensium promovere annitatur. Col. IV, 13. Nec tacet, Epaphram Colossenses sibi de meliori nota commendasse, studiumque

S. Epaphræ laudes.

diumque fidei & pietatis eorundem sibi laudasse, Col. I, 8. Quod Colossensibus omnino gratum esse debebat, si tantum in Epaphra patronum rerumque suarum defensorem, apud Apostolum in vinculis detentum, invenerant. Qui vero factum sit, ut Epaphras Romae cum Paullo vinculis constringeretur, *Philem.* v. 23. in propatulo non est: interim haec ipsa vincula Epaphrae summo honori fuerunt. Si *Martyrologio Romano* credere fas est, Epaphras ut Colossensium episcopus *d. XIX. Iul.* martyrium in urbe patria passus est, ibidemque sepultus. BARONIVS omni nisu contendit, exuvias S. Epahrae hodienum Romae asservari, & quidem in templo S. Mariae maioris. v. TILLEMONT. *memoir. eccles.* tom. I. p. 310.

§. XVI.

Ecclesiae Colossensis status felicissimus.

Erat ecclesiae Colossensis status olim felicissimus Deoque gratissimus, quippe quem S. Paullus non uno nomine celebrat. Extollit multis laudibus Colossensium *fidem, charitatem, & spem*, c. I, 4. 5. quae tria a Christiano homine praecipue requiruntur, teste ipso Apostolo, 1. Cor. XIII, 13. Falsis Apostolis, legem cum Evangelio turpiter commiscentibus, mascule resistebant Colossenses, inque vera fide firmissime perseverabant, c. II, 6. 7. Vt omnia rite, tempore & ordine suo fierent, sedulo curabant. c. II, 5. Baptismi vim & efficaciam, c. II, 12. 13. vitam & mortem cum Christo spiritualem, c. III, 3. in iisdem commendat Apostolus: quibus singulis patet, Colossensem coetum non immerito a nobis felicissimum praedicari.

§. XVII.

Doctores ecclesiae Colossensis.

Accedit, quod & ministros doctoresque ecclesiae habuit clarissimos pariter ac fidelissimos. Talis erat EPAPHRAS, cuius laudes antecedenti §. XV. enarravimus: ONESIMVS, patria Colossensis, teste Apostolo, c. IV, 9. gente Iudaeus, Col. IV, 11. Philemonis servus olim valde inutilis & ab hero suo

Onesimus.

pro-

profugus, epist. ad Philem. v. 11. 15, 16. Romam dilapsus ad Paullum venit, ibidem ad Christum conversus v. 10. tandem a Paullo Colossas & ad Philemonem remissus est. Col. IV, 8. 9. Philem. v. 12. Cæterum non possumus, quin celebrem quæstionem, data hac occasione ventilemus, cur Deus nonnunquam facinorosos olim pessimosque homines postea elegerit apostolos verbique præcones? Servus inutilis & ab hero suo profugus fuerat *Onesimus*, qui, nisi furti, saltem iniustitiæ atque turpis defraudationis crimine sese polluerat. Philem. v. 11. 18. De evangelista S. *Matthæo* constat inter omnes, quod publicanus fuerit ante conversionem, id est, homo malæ frugis, omnibus exosus, multaque nequitia obrutus. Matth. IX, 9. Apostolum *Paullum* ne huc referam, prohibet morum castitas, cui ipse pro Pharisæorum studio olim indulgebat: ipsæ cædes Christianorum, opinione meriti rectique ab eo decernebantur: cæterum, quod ante conversionem vitiis deditus fuerit, confirmari non potest. Contra de S. *Augustino* notissimum est, quam flagitiose vixerit prius, quam ad Deum conversus. Lacrimæ matris S. Monicæ id testantur, quas pro filii emendatione ad Deum fudit, de filio lacrimarum tandem ad fruges redeunte gavisa. Nec plura desunt exempla eorum, qui olim scelestissimi, tandem in promovendo & urgendo Dei opere promtissimi fervidissimique, *proverbio* ansam dederunt parum honesto in nostrum ordinem. Hoc consilio cur Deus utatur, sequentes forsitan rationes subsunt. 1.) Vult Deus in his ipsis doctoribus edere μακροθυμιας suæ exemplum, piis omnibus plenum solatii. Sic enim Paullus: δια τουτο ελεηθην ινα εν εμοι πρωτω ενδειξηται Ιησους Χριστος ΠΑΣΑΝ (summam & eximiam, v. Reverend. *Raphelius* in annot. ad Nov. Test. ex Polyb. pag. 595.) ΜΑΚΡΟΘΥΜΙΑΝ προς υποτυπωσιν (sive OECVMENIO interprete, προς αποδειξιν, προς παρακλησιν) των μελλοντων πιστευειν επ' αυτω εις ζωην αιωνιον. 1. Tim. I, 16. ad quæ verba theologus Lipsiensis

> Cur Deus malos homines nonnunquam elegit ministros verbi?

psiensis antiqua fide & religione, GE. WEINRICHIVS commentatur: *Voluit Deus vivum quoddam lenitatis suæ exemplum, quo cuiuscunque ordinis & sexus homines ad resipiscentiam invitaret. Quid enim prodesset prædicare Deum clementem & misericordem, si non etiam evidentissimis misericordiam suam documentis testatam faceret.* comment. ad. l. c. p. 38. 2.) Vult Deus in his docere, vocationem ad ministerium non pendere ab hominum dignitate, sed a Dei miserentis gratia. Non eo hæc dicta volumus, quasi impiam vitam in Academiis agentibus apologiam scribere, vel morum improbitati colorem induere vellemus: Vtinam omnes vitam sacro futuro munere dignam degerent! Vtinam ab utero Deum pia mente colerent, qui alios ad colendum DEVM admonere debent! Ne quid dicam de misera hominis impii conditione, non raro vita anteacta ad auditorum aures pervenit, obicemque non levem sanctis laboribus ponit; ut taceam, quid morsus conscientiæ sacrum oratorem, vitia in aliis taxantem, torquere possint, & quam graves eum maneant pœnæ, qui divinam vim verbique efficaciam eludit. Psalm. L, 16. 17. Interim nec in eorum partes concedimus, qui neminem nisi semper probum sacro munere recte functurum existimant: hos enim Deus confutat exemplis doctorum olim malis, nunc resipiscentibus & multo cum fructu in Domini vinea operantibus. *Ministerium non est contemnendum, eo quod ex vilibus constet personis, qui & ipsi peccatores sunt. Ita enim placuit Deo, non per angelos, sed per peccatores, alios ad se ducere peccatores, NEQVID HOMINVM SANCTITATI tribuatur, sed quicquid ibi proficitur, DEI MISERICORDIÆ AC BONITATI feratur acceptum.* BALDVINVS *comment. in epist. Paull. p. 1270.* 3.) Admittit Deus hos subinde doctores ecclesiæ, quia pro divina sua omnium rerum scientia intelligit, in impiis postea conversis nonnullas egregias dotes, sacerdoti maxime congruas, per Spiritus S. gratiam facilius produci posse; Superbia Deo est abomina-

minationi, 1. Petr. V, 5. inprimis in theologo sacris operante; oritur autem superbia ex nimia confidentia suorumque meritorum aestimatione, quae certe ab homine, vitae suae ante male actae semper memore, erit longe remotissima. En tibi S. Paullum, σκευος illud gratiae electum! Saepe commemorat quidem, necessitate & fratrum falsorum calumniis coactus, sua in ecclesiam merita, suos labores, sua pericula: 2. Cor. XI. & XII. semper autem eam modestiam humilitatemque prae se fert, ut fere nunquam non pristinorum peccatorum meminerit, seque omni divina miseratione indignum pronunciaverit. 1. Cor. XV, 9. Fieri non potest, quin & illi doctores ecclesiae pari humilitate munus sacrum administrent, qui semper in se habent monitorem & nomenclatorem satis quidem tristem, satis tamen & utilem. Nec dubium est, eosdem maiorem diligentiam adhibituros fore, quippe qui nondum obliti, quantam temporis viriumque iacturam antea fecerint, quam αχρηςων δȣλων personas exuerant. Summo denique iidem studio cavebunt, ne in pristina crimina relabantur, ne gratia divina excidant, ad perfectionem potius cum Paullo tendentes. Phil. III, 12. 1. Cor. IX, 24. Demum divina sapientia patet, qua motus Deus nec eos a sacro munere arcet, qui saeculo genioque olim indulgentes ad fruges tandem redierunt, seque sacro muneri consecrarunt. *Iustus est Dominus in viis suis omnibus.*

Onesimi munera, fata, martyrium.

Sacrae historiae antiquiores plura de *Onesimo* narrant, a fabulis non adeo remota, vel saltem sibi invicem adversa. In *Constitutionibus Apostolicis* L. VII. c. 46. Onesimus dicitur *Episcopus Beraeae apud Macedonas*, sed ab EVSEBIO L. III. 36. salutatur *Ephesiorum doctor & pastor*, quemadmodum & in *Martyrologio Romano* d. XVI. Febr. Episcopis Ephesinis adnumeratur. Possent tamen, ne quid celemus, haec sibi adversa conciliari, si COTELERIO *tom. I. patr. apost. p. 399.* subscriberemus, qui duos eiusdem nominis Onesimos extitisse coniectat,

 Beraeae-

Beræensium alterum, alterum Ephesiorum doctorem. De Onesimo Ephesino luculentus est IGNATII *Locus epist. ad Ephes. p. m. 27. edit Ittig.* ubi eum τον εν αγαπη αδιηγητον vocat, Ephesiosque felicissimos putat, quod digni fuerint, quibus τοιουτος επισκοπος obtingeret. EVSEBIVS L. IV. 26. refert, Melitonen Sardensem literas de numero & ordine V. T. librorum, sive de canone V. T. ad Onesimum dedisse, quas etiam ipse maximam partem in suam historiam retulit. COTELERIO subscripsit TILLEMONTIVS *memoir. de l'hist. eccles. tom. I. p. 606.* sed non deesse, quæ eidem opponantur, iam ante me VSSERIVS animadvertit. In *Menæis* Græcorum, Onesimus non est relatus in seriem Episcoporum Ephesinorum, sed luminibus & sanctis Colossarum Apostolis *d. 22. Nov. p. 174.* Nec in *Simeone* methaphraste, nec in constitutionibus Apostolicis, ubi Ioanni Apostolo successor datus *Ioannes* ille, cui nonnulli veterum & recentiorum Apocalypsin adscripsere. Quemadmodum etiam Timotheo, non Onesimus, sed *Caius* a *Simeone* & *Menæis* datus est: sed sunt hæc ita comparata, ut vix liceat certi quid de iis pronunciare. Plura de Onesimo dedit *Surius* ad d. XII. Febr. *Bollandus* in *act. Sanctor.* eodem die pag. 856. TILLEMONTIVS l. c. De Martyrio Onesimi ex Nilo, Ioanni Chrysostomi discipulo, constare docet RVINARTVS *in præf. ad acta Martyr. p. 24.*

§. XVIII.

Tychicus Colossensium Doctor.

In doctorum Colossensium numerum referendus est TYCHICVS, cuius honorificam mentionem S. Paullus fecit Col. IV, 7. Nominat eum τον αγαπητον αδελφον, fratrum carissimum, πιστον διακονον, fidelem ministrum Ecclesiæ, συνδουλον εν Κυριῳ, conservum in Domino. Mandat eidem v. 8. munus Apostolicum, quod supra §. 15. secundi ordinis diximus, ut corda Colossensium exploraret, & in fide vera confirmaret. Patria fuit Asianus, i. e. ex Asia minori Act. XX, 4. gente autem Iudæ-

us

us Col. IV, 11. cuius opera Paullus in legationibus sæpissime usus est, vid. Tit. III, 12. Paullum nunquam deseruit, sed Romam comitatus est, unde ab eodem tam ad Ephesios, Ephes. VI, 21. quam ad Colossenses ablegatus est. Ac si verum est, Paullum posteriorem epistolam ad Timotheum e captivitate sua Romana secunda dedisse, Tychicus quoque in hac Paullo ad tempus adstitit, inde iterum ad Ephesios remissus. 2. Tim. IV, 12. ARCHIPPVS, cum S. Paullus in vinculis Romæ esset, Colossensi ecclesiæ præfuit, teste Paullo, Col. IV, 17. και ειπατε Αρχιππω: *dicite Archippo*, quomodo enim Colossenses Archippo apud se non præsenti dicere potuissent, quod a Paullo in mandatis habebant? ait SEB. SCHMIDIVS *comment. ad. h. l. p. 260.* Saltem phrasis innuere videtur, Archippum Colossis docuisse tunc temporis: dubium enim non est, Apostolum aliter locutum, si Laodicensium Episcopus Archippus fuisset, quæ HVPERII & aliorum pauciorum sententia est. Vana quæstio est, fueritne Archippus Colossensium Episcopus, an Diaconus? Ignorantiæ styli sancti N. T. se ipsos damnant, qui ex Paulli verbis, βλεπε την διακονιαν, diaconum fuisse Archippum contendunt: διακονια enim omne ministerium verbi significat (conf. de significatione vocis διακονιας, Rom. XI, 13. Cor. V, 18. Act. I, 17. 25.) Risum fere merentur, qui Archippum neque diaconum, neque Episcopum, sed presbyterum compellant: discrimen enim hoc fuisse ævo apostolico ignotum, a nostris theologis invictissime comprobatum est. Acutissimus TILLEMONTIVS *memoir. de l'hist. eccles. tom. I. p. 305.* litem hanc in medio relinquit, Archippumque sacro munere apud Colossenses quidem functum, sed utrum diaconi, an presbyteri, an episcopi nomine, incertum esse existimat ipse. THEODORETVS literis prodidit, Archippum Colossis mansisse, ast in *Constitut. Apostol.* libr. VII. c. 46. legimus, eum abiisse Laodiceam Phrygiæ, huicque ecclesiæ præfuisse. Memoria Archippi in Latina ecclesia d. XX. martii mensis, in Græca d. XXII.

Archippus, Colossensium Doctor.

Episcopusne, an diaconus?

an presbyter?

Martyrium.

XXII. Nov. colitur, adduntque *Menæa Græcorum p. 355.* Archippum sub Nerone martyrium una cum Philemone & Appia Colossis subiisse. Add. *Acta Sanctorum d. 20. Mart. p. 82.* & *Menæa p. 179.*

Marcus, Barnabæ nepos.

Sitne MARCVS, Barnabæ nepos, doctoribus ecclesiæ Colossensis annumerandus, dubito: nam utut ex Col. IV, 10. pateat, Marcum Colossis fuisse, Paullique mandata huc tulisse, inde tamen ad munus sacrum concludere nondum licet. Vnde enim constabit, mandata ista ad res domesticas non pertinuisse? Cæterum hic ipse Marcus est, cognomine Ioannes, cuius sub nomine *acta de S. Barnabæ passione* circumferuntur, a BARONIO dudum explosa, *annal.* ad A. C. 51. & a VOSSIO L. II. *de hist. Græc.* c. 9. & FABRICIO *in cod. apogryp.* N. T. tom. I. p. 781.

Philemon, Colossensium Doctor.

PHILEMONEM malumus iis adnumerare, qui in conversione Colossensium reliquarumque urbium vicinarum, doctoribus auxilio fuerunt. Extat epistola S. Paulli ad PHILEMONEM, de qua commentatores sunt consulendi atque exegetæ. Philemonem doctoribus subsidio venisse, a nemine in dubium vocatur: fueritne ipse ecclesiæ Doctor, nec ne, sub iudice lis est. CALOVIVS noster Tom. IV. *bibl. illustrat. p. 1085.* negat, fretus potissimum HIERONYMI testimonio, qui Philemonem *civem Colossensem* dixit, nihilque in literis S. Paulli occurrere putat, quod vel Episcopalis vel Sacerdotalis dignitatis Philemonem fuisse proderet. At epistola curatius inspecta, in limine statim obviare mihi videtur signum & indicium presbyterialis dignitatis & muneris satis manifestum. Salutatur enim Paulli συνεργος, qui titulus semper proprius videtur doctorum, 1. Cor. VII, 9. eritque ille mihi magnus Apollo, qui ex toto N. T. unum locum ostenderit, ubi titulus συνεργȣ alii, quam ministro ecclesiæ fuerit datus. confer. *Rom. XVI, 3. 9. 21. 2. Cor. VIII, 23. Phil. II, 25. c. IV, 3. Col. IV, 11. 1. Thess. III, 2. Phil. v. 24.* Eadem fuit opinio CHRYSOSTOMI,

MI, THEOPHYLACTI, aliorumque ecclesiæ antiquioris patrum, nec non totius ecclesiæ Græcæ recentioris, siquidem in *Menæis Græcorum d. 22. Nov.* Philemon Apostolis adnumeratur una cum Archippo, iis tamen, qui e septuaginta discipulorum numero. Μνημα των αγιων Αποστολων εκ των εβδομηκοντα Φιλημονος Αρχιππου, &c. p. 179. Nec valet CALOVII argumentatio, Epaphram fuisse Colossensium pastorem, Col. I, 7. c. IV, 16. nam Epaphram fuisse Apostolum, ad plures una civitates ab Apostolo missum, §. 15. evicimus: nunc addimus, ea, qua ad Philemonem scribebat Paullus, ætate Epaphram Romæ in vinculis cum Paullo fuisse, *Philem.* v. 23. igitur hoc absente civitatem Christianam Colossensium rexit Philemon. Atque hæc sententia arrisit quoque illi, qui *Constitutiones Apostolicas* compilavit, nam L. VII, c. 46. perhibet, ab Apostolis Philemonem creatum fuisse episcopum Colossensium. A qua maiorum sententia hodierni Græci longe recederent, si certum esset, quod nonnemo (*) asseruit, quod Gazæ episcopum dicerent in *Menæis* d. 22. Nov. sed dum ipse Menæa l. c. p. 174. evolvo, equidem video, Gazam conversionem suam Philemoni debere, sed de Episcopatu nihil relatum lego. Potius non sine caussa factum censeo, quod Philemon in omni, quæ ipsi a Græca ecclesia exhibetur ακολουθια dicatur semper αποστολος. E. gr. in primo hymno, quem vulgus canere solet in Philemonis memoriam, occurrunt verba: αποστολε Φιλημον αξιωθαυμαστε v. 2. σοφε αποστολε, v. 3. Cæterum in Menæis memoriæ proditum est, Philemonem sub Nerone, præside Asiæ Androclo, martyrium Colossis passum esse, exuvias Colossis quoque mansisse, multaque miracula edidisse Conf. TILLEMONTIVS *memoir. de l' hist. eccles.* tom. I. p. 604.

§. XIX.

Multum aucta est Colossensis ecclesiæ felicitas, quod vicinæ urbes, *Laodicea* & *Hierapolis*, quarum Col. II, 1. c. IV, 13. 15. 16. memoria servata est, ad Christianorum sacra transierint; sic enim Col. II, 1. c. IV, 13. 15. 16.

(*) TILLEMONT.

mutuis invicem consiliis opibusque Phrygiæ Pacatianæ urbes sese in veritate iuvabant.

Laodicea, Colossis vicina. *Laodiceæ* nomen in sacris N. T. paginis, præcipue in Apocalypsi Ioannea, subinde obviat. vid. Col. II, 1. & c. IV, 13. 15. 16. Apoc. I, 11. & c. III, 14. Paucis eam delineasse iuvabit. Situm Laodiceæ laudatus Anglus SMITHVS ita describit, ut inter Hierapolin & Laodiceam intercedere planitiem quinque millibus passuum amplam & a Lyco flumine irrigatam, observet, recteque moneat, Colossas Laodiceam ab occidente habere, & ab ea satis lato spatio distare, uti supra §. 9. pluribus evicimus. Septem collibus, qui mediam planitiem quandam includebant, superstructam fuisse urbem, olim satis parvam, postea opulentissimam, amplissimam, duobus millibus passuum Epheso distantem. v. SMITHI *not. sept. eccles. Asiæ p. 40.* Idem Anglus probe adnotavit, ad mille quingentos passus versus Boream & Boreapeliotem dilabi Lycum, latera vero urbis alluere duo fluenta, *Asopum* & *Caprum*, alterum ad occidentem, ad Euronotum alterum, quæ in Lycum cadunt, uti Lycus in Mæandrum. Nomen suum habuit ab uxore Antiochi III. *Laodice*, quippe in cuius honorem amplificata est & exornata, teste PLINIO. Cumque multæ urbes simili nomine gavisæ olim sint, conf. LVC. HOLSTENIVS in *not. ad Stephan. Byzant. de urbibus* voc. *λαοδικ.* p. m. 187. iuvabit hanc Laodiceam Phrygiæ a Syriæ urbe Laodicea potissimum distinxisse, ne forte EVSEBIVM L. IV. *hist. eccles.* c. XXVI. de nostra retulisse putemus, quæ de urbe Laodicea & Episcopis Laodicenis ibidem leguntur. Vocatur nostra Laodicea ad Lycum, uti est in numo apud SPONIVM: Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΛΥΚΩ. Aliam inscriptionem, eamque antiquissimam LVC. HOLSTENIVS l. c. attulit, ex qua idem cognomen probamus. Phrygiæ metropolis erat Laodicea, Colossarum vicina, olim Diospolis, postea Rhoas dicta, si SALAMONI van TILL credimus, l. c. p. 318. qui hæc ex PLINIO L. V. c. 29. hausit. STRABO memi-

minit, eam antea exilem sua ætate crevisse, in oppugnatione Mithridatis Eupatoris multum passam, agri tamen præstantia civiumque fortuna denuo auctam fuisse. Hodie audit *Eski Hissar*, id est, *vetus castrum*, (*) multaque inter rudera pristinam amplitudinem lugubri aspectu referentia, tria theatra, aquæ ductuum vestigia, aliaque pristinæ magnitudinis τεκμήρια refert SMITHVS l. c. Quibus si numos Laodicenorum addideris, supra §. 6. allatos, recte inde colliges, Laodiceam nostram celeberrimis Asiæ minoris urbibus annumerandam esse. Iungitur enim Epheso & Smyrnæ, excellentissimis urbibus: ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, porro, ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Ne quid de laude PLINII dicam, qua Laodiceam extulit.

Ager Laodiceam circumiacens olim erat fertilissimus, & ovium gregibus nutriendis aptissimus, unde & *Lana Laodicea* a mollitie & nigredine sua per orbem celebratissima fuit, teste STRABONE L. XII. *edit. nov. p. 867.* Factum inde est, ut mercaturæ operam darent Laodiceni, qua opes suas egregie promovebant, suæque civitati inter Asiæ urbes emporii celeberrimi nomen acquirebant. Quodsi constitutiones Apostolicæ essent genuinæ, *Archippum* primum Laodiceæ Episcopum, ab ipso S. Paullo electum, crederemus, v. L. VII. 46. Cui ex *Martyrologio Romano* d. VI. oct. *Sagarin* Martyrem & Episcopum, Paullique discipulum adderemus. v. FABRICII *Lux salutar. evang. p. 89.* Sed incertiora hæc sunt; certiora autem, quæ in Ioannis Apostoli *Apocalypsi* c. III, 14. seq. hac de urbe referuntur, a CAMP. VITRINGA in *anacrysi apocal.* ad h. l. sedulo annotata. Apoc. III, 14. seqq. Etenim ex epistola ad præsulem Laodicenum ab ipso Iesu data, patet, Laodiceam tempori inserviisse, & a pristino zelo atque fervore multum recessisse, siquidem neque ψυχρὸς neque ζεστὸς erat, suæque paupertatis spiritualis ignara. Resipuisse eam & ad fruges rediisse, verisimile est: quod si au-

 tem

(*) CAROLVS a S. PAVLLO in Geograph. sac. p. m. 230. (edit. Amstel. 1711.) refert ex LEVNCLAVIO, a Turcis Laodiceam nominari *Nove Lesche*.

tem testimonio EVSEBII affirmatur, ficulneum hoc dixerim ego argumentum. Nam quæ EVSEBIVS, loco mox citato, de ecclesia Laodicena habet, ad Laodiceam Syriæ non Phrygiæ pertinent. Servavit autem provida Iesu cura lumen, cuius obfuscationem minatus fuerat, nisi Laodicea ad meliorem mentem rediret. Constat enim, sæculo quarto A. C. CCCLXVII. *Laodicenam Synodum* a Phrygiæ Pacatianæ vicinarumque regionum episcopis celebratam esse. Decrevit hæc synodus de disciplinæ ecclesiasticæ restitutione, nec non de aliis eo spectantibus rebus, uti ex LX. canonibus etiamnum extantibus patet: quorum ultimus vel penultimus celeberrimum illud de canonicis libris V. T. & N. T. decretum continet, de quo PRITIVS *in introd. N. T. p. 22. meæ edit.* prolixe disseruit.

Synodus Laodicena.

Locus vexatus Col. IV, 6.

Olim Laodicenis religio magis fuerat cordi, quum ad S. Paullum literas darent, huncque fidei capitibus interrogarent. Testatur id Paullus Col. IV, 6. *και την εκ Λαοδικειας* (*επιςολην, ποιησατε*) *ινα και υμεις αναγνωτε*: quibus verbis luculentissime perhibet, *εκ Λαοδικειας*, ex Laodicenorum urbe ad Paullum litteras fuisse missas. Sunt, qui ipsum S. Paullum *εκ Λαοδικειας* epistolam quandam, ad Ephesios forte, exarasse putant; sed hi erunt fere, qui a propria *τȣ εκ* significatione discedunt, simul obliti, S. Paullum nondum Laodiceæ fuisse tunc, cum hanc ad Colossenses epistolam componeret, Col. II, 1. Quod si Apostolus nunquam Laodiceæ fuerat, qui quæso Laodicea scribere poterat? Stat itaque sententia, Paullum Colossensibus narrare, Laodicenos ad se literas dedisse, quarum copia ut Colossensibus daretur, simul imperat. Faciunt nobiscum omnes versiones antiquæ, in primis Syrus & Arabs, nec non antiqua Latina; Faciunt nobiscum patres primitivæ ecclesiæ, hosque inter CHRYSOSTOMVS, qui voculam ΕΚ urget. *Ου γαρ ειπε, την* ΠΡΟΣ *Λαοδικειας, αλλα την* ΕΚ *Λαοδικειας Φησι γραΦεισαν. hom. XII. in epist. ad Coloss.* Facit etiam mecum ESTIVS ad h. l. cuius verba adscripsisse iuvabit: *Probabilior nobis est eorum sententia, qui putant,*

tant, hic agi de epistola ab ipsis Laodicensibus scripta ad Paullum, quæ contineret magnam testificationem fidei & caritatis eorum: ideoque Paullum voluisse, ut eam legerent Colossenses, illorum scilicet exemplo provocandi atque excitandi ad morem fidei & caritatis profectum. add. TILLEMONT. *memoir. de l'histor. eccles. tom. I. p. 605.* (*)

Atque hinc patet, quid de supposititia illa S. Paulli ad Laodicenos epistola sit iudicandum, de qua prolixius commentatus sum in additamentis ad b. PRITII *introd. in N. T. p. m. 137.* add. FABRITIVS *in codic. apocr. N. T. tom. II. p. 853. seqq.*

§. XX.

Hierapolis Colossensibus vicina fuit, uti Laodicea; hinc Paullus Hierapolitanos Colossensibus iungit Col. IV, 13. seque de Colossensibus, Laodicenis pariter & Hierapolitanis, admodum sollicitum pronunciat. Hierapoleos nomine plures urbes olim venerunt: alia Syriæ, alia Cretæ, alia demum Cariæ: nos autem de Phrygiæ oppido loquimur. Vid. ST. BYZANT. *de urbib. p. m. 41.* Celebrem olim fuisse Phrygiæ Hierapolin, non solum scriptores antiqui, sed & numi hac in urbe cusi atque etiamnum extantes, abunde loquuntur. In his vocatur ΝΕΩΚΟΡΟΣ, titulo satis honesto, qui eminentiam præ aliis urbibus ac singularem idoli cuiuspiam, sine dubio *Cybeles* deæ Phrygiæ, curam cultumque denotat. Sic Ephesus Dianæ νεωκορος dicitur, quia fanum Dianæ sanctissime curabat, huiusque *æditua* quasi erat. Act. XIX, 35. Atque hisce Ephesiis Hierapolis in numis iungitur, ideo, quod una cum Ephesiis ad κοινον της Ασιας pertinuit, inque his sacra sua peregit. Sita fuit in confiniis Phrygiæ & Lydiæ, teste STEPHANO BYZANTINO, unde & a nonnullis, sed immerito, Lydiæ adscripta est. *vid. §. 6.* Vestigia nobilissimæ huius urbis TH. SMITH vidit

Hierapolis, Colossis vicina.

Act. XIX, 35.

(*) Nuperrime eandem sententiam de hac epistola tulit Io. LAMIVS, in Academia Florent. P. P. in libro paradoxo *de eruditione Apostolorum p. 166.*

dit intra Mæandrum & Lycum, qui ſimul obſervavit, Hierapolin non contemnendam urbem olim fuiſſe, ingentem marmorum litteratorum etiamnum Hierapoli occurrentium, ſtruem, abunde docere. *Vel ſola Hierapolis*, inquit SMITHVS *in præf. ad ſeptem Aſiæ Eccleſ. notit. quantum præſens iudicare poteram, plusquam octidiu, ſi illic mihi tam diu manendum fuiſſet, laborem exhauſiſſet.*

Synodi Hierapolitanæ.

Idem ex conciliis, in ea habitis, haud immerito colligitur. *Primum concilium Hierapolitanum* circa annum CLXXIII. ab Apollinario, Epiſcopo Hierapolitano & viginti ſex aliunde convocatis præſulibus celebratum eſt, quo Montanus cum Maximilla, nec non Theodorus vel Theodotus Coriarius, condemnati ſunt. v. STEPH. BALVZIVS *collect. nov. p. 5.* LABBEI *concil. tom. I. p. 599.* CAVE *hiſt. liter. pag. 50. Secundum concilium Hierapolitanum* circa annum CCCCXLIV. a Stephano Metropolita indictum fuit, quo Sabinianus in locum Athanaſii Perthenorum Epiſcopi ſurrogatus, manuum impoſitione ſacro muneri conſecratus eſt. v. CAVE l. c. p. 309.

S. Papias, Hierap.

Habuit etiam Hierapolis doctores eccleſiæ eximios, quos inter PAPIAS eminet, notiſſimus ille fabulæ de regno Chiliaſtico conditor. Hierapoli natum, S. Ioannis diſcipulum & S. Polycarpi ſodalem fuiſſe Papiam, vulgo creditur: unde & circa ſæculi ſecundi primordia eum vixiſſe neceſſe eſt. Eccleſiæ Hierapolitanæ præfuit multa cum laude, ſcripſitque quinque volumina, λογιων κυριακων εξηγησεως, quem titulum HIERONYMVS vertit: *Explanatio ſermonum Domini.* Sed ERASMVS ROTER. titulum Græcum refert h. m. Εκθεσις των λογων Κυριȣ. Præter fragmenta apud Irenæum, Andream Cæſarienſem, & Oecumenium obvia, nihil de iis ſupereſt, etſi TRITHEMIVS in alias partes abiiſſe viſus fuerit DVPINIO *bibl. nouvel. Tom. I. p. 80.* Qui vero Papiam verba IESV expoſuiſſe in illis libris autumaret, næ ille erraret, nam ex fragmento ab HIERONYMO *catal. ſcript. eccleſ.* c. 18. ſervato patet, Papiam in Exegeſi

ſua

ſua enarraſſe ſermones Apoſtolorum, dicta & apophthegmata, facta & miracula, ſibi a viris Apoſtolis relata. Collegit fragmenta HALLOIXIVS *tom. I. ſcriptor. eccleſ. oriental.* De auctoritate & ſcriptis PAPIÆ conſuli meretur CAVEVS *hiſt. liter.* p. m. 30. ITTIGIVS *in diſſ. de viris apoſtolic. ſ. 50.*

Præter Papiam APOLLINARIVS, Aſiæ Hierapolitanus Epiſcopus, ab HIERONYMO *catal. ſcript. eccleſ. c. 26.* celebratur, nec non ab EVSEBIO *Lib. IV. hiſt. eccleſ. c. 26. L. V. c. 15. 16.* & PHOTIO codic. 14. In Martyrologio Romano ad diem VIII. Ian. memoria S. CLAVDII APOLLINARII martyris, Hierapoleos in Phrygia Aſiæ provincia Epiſcopi, ſervata eſt. Laudat Hieronymus Apollinarium noſtrum, ſub Imperatore M. Antonio Vero florentem, quod huic inſignem apologiam *pro fide Chriſtianorum* obtulerit; quod quinque libros adverſus gentes exaraverit; quod de veritate duo, & contra Cataphrygas, (*) tunc primum a Montano cum Priſcilla & Maximilla excitatos ſcripſerit. Quæ opera ſingula perierunt, exceptis paucis fragmentis ab Euſebio, Ruffino & Nicephoro ſervata, quorum de ſinceritate conſulendus eſt HALLOIXIVS *tom. II. ſcript. eccleſ. Orient. in vit. Theophil. c. 4.* Edidit & alios libros, ſtudioſe a CAVEO allegatos, *hiſt. liter. p. m. 43.* Sitne hic Apollinarius, de quo Hieronymus *ad magnum Oratorem Tom. III. f. 149. edit. Eraſm.* retulit, quod Philoſophorum fontes, ex quibus Origenes ſua venena hauſerit, oſtenderit, diſquirit venerabilis atque celeberrimus Doct. ERN. SAL. CYPRIANVS *ad Hieron. Catal. p. m. 251.* Cæterum multa laude condecoratur Apollinarius Hierapolitanus a PHOTIO, cui audit *ανηρ αξιολογος, και φρασει αξιολογω κεχρημενος*, vir præſtans ſtiloque præſtanti uſus. cod. *14.* — S. Apollinarius.

Porro

(*) Fueritne Apollinarius auctor horum librorum genuinus, ſub iudice lis eſt. conf. ITTIGIVS de hæreſiarchis ævi apoſtolici, p. m. 214. VALESIVS in not. ad Euſebii hiſt. eccleſiaſt. p. m. 179. HALLOIXIVS tom. II. de illuſtr. orient. eccleſ. ſcriptor. p. 816.

Abercius Hierapol.

Porro huc referendus esset ABERCIVS, patria Hierapolitanus, cuius & Episcopus creatus circa an. CLXIV. sub M. Aurelio & Vero imperatoribus. Ast cum nulla ABERCII mentio facta sit in veterum monumentis, vitaque a Simeone Metaphraste scripta, multis de caussis subleſta existimetur, nolumus ficto quodam nomine Hierapoli nostræ gloriam conciliare. vide CAVE *hist. litter. p. m. 39.* Qui hodiernam faciem Hierapoleos delineatam cupit, adeat sæpe laudatum Anglum, SMITHVM, qui p. 35. urbem sacram hodie a Turcis *Pambuk Kulasi*, i. e. gossipianam dici, turrem ob rupium clivos, qui e longinquo instar gossipii candent, obſervavit. Addidit idem, Balneum, unde *calidæ aquæ* olim celeberrimæ ſcaturiebant, marmore candido ſtratum quidem supereſſe, sed columnas, quibus olim circumdatum erat, in illud corruiſſe. Vrbem totam penitus everſam incolisque deſtitutam eſſe, ruinas autem multam & magnificentiam & gloriam præ ſe ferre, adeo, ut SMITHVS ne lugere quidem ſatis potuerit flebilem & miſerandam ſortem urbis, quæ tot templis olim ſuperbiit, tot palatiis inſignibusque ædibus gaviſa eſt, ut Ἱεραπόλεως ſ. *ſacræ urbis* nomine cohoneſtaretur. Rectiſſime hæc a SMITHO annotata ſunt, debuiſſent autem & iidem in memoriam revocare, quæ tam in STRABONE, quam in numis antiquis de *Plutonio Hierapolitano* commemorantur. STRABO eiusdem meminit L. XII. p. 868. de numis autem egregie diſſerit BEGERVS *in theſaur. Brandenb. tom. I. p. 505. 506.*

Hodierna urbis facies.

Aquæ calidæ Hierapol.

§. XXI.

Anastasiopolis urbs.

Tribus his urbibus, ab ipſo S. Paullo in litteris ad Coloſſenſes commemoratis, adderem ego *Anaſtaſiopolin*, quia huius in Synodo CPlitana VI. & in *Leonis ſapientis notitia* mentio iniicitur. Sed cum ſæpius obſervaverim, urbes Galatiæ cum Phrygiæ oppidis propter terminorum coniunctionem haud raro

ro confundi, alii iudicent, fueritne Anaſtaſiopolis Galatiæ, an Pacatianæ Phrygiae. Ante Synodum VI. CPlitanam nullibi Phrygiæ Anaſtaſiopoleos nomen legitur, quod olim ſuſpicionem mihi movit, antiquiorem urbem ex ruderibus reſtitutam novo nomine condecoratam fuiſſe.

De reliquis Phrygiæ Pacatianæ urbibus paſſim in notitiis imp. obviis, data opera ſilemus, quia ſcilicet non conſtat, dederintne nomina ſua Chriſto, tunc cum Paullus ad Coloſſenſas ſcriberet. Qui eos noſſe cupit, adeat ORLENDVM *in orbe ſacr. & prof.* tom. I. p. 141. Vetuſtiſſimas autem urbes magnæ Phrygiæ nominat STRABO, Laodiceam, Apameam, Aphrodiſiata, Coloſſas, Themipiſonium, Sanaon, Eucarpiam, &c. L. XII. *edit. ant. 577. nov. p. 864.*

§. XXII.

Cur de his Phrygiæ urbibus h. l. agatur.

Atque ſic demum conſtabit, Phrygiam Pacatianam fere omnem, ætate apoſtolorum ad chriſtianorum caſtra tranſiiſſe, noſtrumque Soſpitatorem divino honore coluiſſe: quod interpretibus uſui erit in explicandis literis S. Paulli ad Coloſſenſes c. II, 1. & c. IV. 13. 15. 16. Fit enim non raro, ut Laodicea & Hierapolis vix tribus verbis recenſeantur a commentatoribus, quaſi ad incognitas terras pertinuiſſent, nihilque de iis conſtaret. Simul autem inde colligitur, felicitatem eccleſiæ Coloſſenſis multam magnamque fuiſſe, quippe quæ in vicinia habebat, unde auxilia conſiliaque ſperare debebat. conf. §. XIX.

§. XXIII.

Eccleſiæ Coloſſenſis fata.

Vtinam hæc Coloſſenſium fortuna perennior fuiſſet! Sub Nerone Coloſſas terræ motu collapſas, hiſtoria perhibet, quæ ſimul addit, ſub eodem imperatore multam quoque paſſam eſſe eccleſiam Coloſſenſem. Perſecutio, quam tyrannus omnibus regionibus intendebat, Phrygiam quoque premebat, multosque confeſſores ad ultima ſupplicia crudeliſſime rapiebat. *Philemon* cum *Appia*, *Archippus* aliique martyrio tunc temporis coronabantur Coloſſis, hodieque a Græcis magna ſuperſtitione

Martyres Coloſſenſes.

coluntur. Equidem DODWELLVS *differt. Cyprian.* XI. §. 13. Neronis persecutionem inter Romæ urbis fines conclusam existimat, cui tamen RVINARTVS in præf. *ad acta martyr. sincera p. 31.* ex asse satisfecit. LACTANTIVS & OROSIVS per omnes provincias Christianos pari persecutione excruciatos fuisse, conceptis verbis referunt: eratque DODWELLVS, dum incendium Romanorum unicam persecutionis caussam existimat, quippe iidem scriptores addunt, Neronem animadvertisse, non modo Romæ sed & ubique magnam multitudinem deficere, a cultu idolorum, ideoque ira tyrannum exarsisse. Sub Domitiano eandem crudelitatem experti sunt Colossenses, nec dubium est, eos & in illis, quæ has exceperunt, persecutionibus Christianorum, durioribus fatis subiectos fuisse, etsi nomina martyrum maximam partem nostra ætate sint ignota. Possent forsitan nonnulla martyrum Phrygum nomina e Martyrologiis, Menologiis & Menæis erui, si satis otii haberemus. e. gr. S. *Caii* & *Alexandri*, qui sæculo II. Apameæ ad Mæandrum perierunt, v. *Acta sanct.* d. 10. Mart. p. 4. Ulterius si Colossensis ecclesiæ historiam texere vellemus, turbæ, quæ a *Semiiudaizantibus*, *Gnosticis*, *Cataphrygibus*, & aliis a veritate descíscentibus, excitatæ olim fuerunt, essent commemorandæ. Sed, pace Lectorum benevolorum, hoc qualecunque pensum sectioni posteriori, propediem in lucem edendæ, servabo. Est enim prolixius & difficilius, quam ut hæc paginarum angustia illud capere queat.

De persecutione Neronis.

Terræ motus, quo urbs sub Nerone concussa, ecclesiæ quoque non leve detrimentum attulit: quumque Colossarum memoria post ævum Apostolicum mihi quidem prius non occurrat, quam sub Graecis imperatoribus, fit inde mihi verisimile, ecclesiam cum urbe deletam diu iacuisse, seraque demum ætate ex pulvere surrexisse. (*) Nova urbis facies novum eidem no-

(*) Retulit mihi vir quidam doctissimus, sese nomen cuiusdam Episcopi Colossensis, in subscriptione Concilii cuiusdam sæc. V. legisse: Addidit nonnemo,

nomen peperit, χωνων scilicet, ut antea §. III. ex THEOPHYLACTO, & CONSTANTINO PORPHYROG. docuimus: hinc *Chonensis* episcopatus dictus est, qui olim Colossensis, cui postea *metropolitani* titulus accessit. Inde derivandum est cognomen *Choniatæ*, passim obvium. CAVEVS allegat MICHAELEM ACOMINATVM CHONIATAM, Athenarum Metropolitam, circa annum 1204. celebrem, cuius oratio funebris in mortem fratris Nicetæ, nec non alia opera & fragmenta quædam supersunt. l. c. p. 619. Postea NICETAS ACOMINATVS CHONIATA, Michaelis frater in aula Constantinopolitana degens anno 1204. capto a Latinis Byzantio, ipse cum uxore gravida in exilium profectus, Nicææ anno 1206. obiit. Historia, quam condidit, incipit ab obitu Alexii Comneni, & desinit in Henrici Flandri introitu. Scripsit etiam thesaurum orthodoxæ fidei, confutationem legis Muhameticæ, &c. de quibus singulis CAVEVS *hist. lit.* p. 620. more suo disseruit: cui recte iunges OVDINVM *tom. II. de scriptoribus eccles. sæc. XII.* p. m. 1709. 1712. Tandem suspicor, GEORGIVM CHONIATAM Presbyterum quoque huc esse referendum, qui scholia in Ioannis Damasceni librum, *fontem scientiæ* dictum, scripsit; Quorum LEO ALLATIVS meminit copiamque ad Ioan Aubertum Parisiensem transmisit, v. CAVE l. c. *in append.* p. 171. Idem LEO ALLATIVS *de Simeon. p. 49.* meminit ARCHIPPI cuiusdam, Eremitæ & ecclesiæ, quæ in urbe *Chonis* erat, Paromonarii s. Custodis, qui de miraculo S. Michaelis Archangeli narrationem edidit: Forsitan ad nostros hic quoque pertinet. v. CAVE l. c. p. 168. Sic autem constat, Colossensium ecclesiam ad sæculum decimum tertium usque durasse, suisque episcopis gavisum esse.

Novum Colossarum Nomen, Χωναι.

Michael Acom. Choniata.

Nicetas Acom. Choniata.

Georgius Choniata.

Archippus Choniata.

Ab illo tempore, non memini me nomen *Chonensis episcopatus*

se nomen Metropolitani Colossensis in Notitiis antiquis vidisse: Mihi uero non licuit adeo felici esse, qui loca ista inuenire potuissem. Dies diem docet: alio forsitan tempore certiora mihi obtingent.

patus legisse. Equidem in vita S. *Angeli* martyris, a Patriarcha Hierosolymitano Enoch. a. 1220. exarata legitur, quod dicto tempore PAVLLVS *Archiepiscopus Colossensis* subscripserit canonisationi (sit venia verbo) S. Angeli ; sed quis tam obesae naris esset, ut fraudem subodorari nequiret. Pertinent haec ipsa Acta S. Martyris ad consuetas Romanae ecclesiae artes, quibus cultui sanctorum colorem speciemque antiquitatis conciliare student. Turpis ille impostor, qui sub *Enochi* nomine vitam S. Angeli confinxit, adeo ignarus fuit antiquae historiae, ut nesciret, Colossensium nomen diu perditum fuisse ea, qua Enochus patriarcha vivebat, aetate ; hinc securus admodum Thessalonicensi, Nicomediensi, Tyrensi, Nicosiensi Colossensem archiepiscopum addere non dubitavit. Conf. CAIETANVS *de sanctis Siculis* Tom. II. p. 185.

Collapsam itaque esse puritatem doctrinae a S. Paullo olim in Colossensibus collaudatam, omnemque Asiam minorem spissis erroribus, pravisque superstitionibus denuo obrutam, quis est, qui neget. Audiamus quaeso nobilissimum Anglum, TH. SMITHVM, qui verbis vix exprimere potuit miserrimum Colossarum statum hodiernum : *Nulla apud ipsos est ecclesia, nullus sacerdos, qui liturgica praelegat, & sacramentum eucharistiae celebret. Graecae linguae penitus obliti miserrimi Colossenses, Turcice in familiari sermone loquuntur.* V. *notit. Asiae eccles sept.* p. 39.

Hodie sub iugum Turcarum missae sunt Colossae, horrendisque ruderibus pariter & tenebris sepultae iacent, postquam ecclesia ab ipso Paullo olim fundata, nunc funditus deleta est. O tristia rerum fata ! quas olim Apostolorum vox personuit terras, nunc nil nisi Mohammedis somnia & mendacia resonant. Ohe ! quando satis erit divinarum irarum ?

INTRODVCTIONIS IN LECTIONEM EPISTOLAE S. PAVLLI APOSTOLI AD COLOSSENSES

SECTIO II.

QVAM
PRAESIDE

D. CAROLO GOTTLOB HOFMANNO

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO ET ALVMNOR. REGIO-ELECTORALIVM EPHORO

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

D. XV. FEBRVAR. A. R. S. cIↄ Iↄ CC XL.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

GOTTLIEB MEZIBRODSZKY

MODRA - HVNGARVS
S. S. THEOLOGIAE CVLTOR.

VITEMBERGAE,
STANNO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I.

Auctorem epiſtolæ ad Coloſſenſes, eſſe S. PAVLLVM Apoſtolum docetur: & dubio ex Act. XVIII, 23. & c. XVI, 6. occurritur.

§. II.

Cur Timotheus S. Paullo in epiſtolæ fronte iungatur, reiecta SAL. VAN TILL opinione, diſquiritur.

§. III.

De *Scriba*, cuius opera S. Paullus in exaranda hac epiſtola uſus, ita diſputatur, ut 1) Rever. D. HEVMANNI nova coniectura afferatur, 2) auctoritati divinæ miniſterium ſcribæ nihil derogare, oſtendatur.

§. IV.

Locus, unde epiſtola ad Coloſſenſes ſcripta, indicatur.

§. V.

Tempus, quando epiſtola ſcripta, notatis Cl. OEDERI, ERASMI, TILLEMONTII, WESSELII opinionibus, definitur.

Quæritur ſimul, ſitne *epiſtola ad Philemonem* eodem tempore exarata.

§. VI.

Tabellarii epiſtolæ nominantur.

§. VII.

Lingua Græca, & ea pura, ſcriptam eſſe epiſtolam, evincitur.

§. VIII.

§. VIII.

Notæ characteristicæ duodecim *Stili* Paullini afferuntur, deque iisdem iudicatur.

§. IX.

De *occasione* scribendi hanc epistolam, nec non

§. X.

De *scopo* eiusdem, disputatur.

§. XI.

Semi-iudaizantium hæreticorum errores, in epistola notati, recensentur, artibus *Missionariorum* Rom. simul detectis.

§. XII.

Gnosticorum & *Pseudophilosophorum*, exposita vocis συλαγωγειν emphasi, familia describitur: additis de *abusu Philosophiæ*, pro temporum conditione, monitis necessariis.

§. XIII.

De *morosis morum doctoribus* inter Gnosticos; nec non de *Stylitis*, *Salis*, & aliis morum severitatem sectantibus; porro

§. XIV.

De *prohibito angelorum cultu*, etiamnum in Rom. ecclesia obtinente; tandem

§. XV.

De *Cataphrygum*, seu Montanistarum hæresi, differitur.

FINIS.

INTRO-

INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE S. PAVLLI
AD COLOSSENSES
SECTIO II.

---

§. I.

S. Paullum Apostolum esse auctorem epistolæ, ad cujus faciliorem interpretationem sacrorum interpretem præparamus, clarissime docet salutatio ipsis his ad Colossenses datis literis sub initium præmissa, in qua Apostoli nomen legitur expressum: ΠΑΥΛΟΣ αποϛολος Ιησȣ Χριϛȣ, δια θεληματος Θεȣ, και Τιμοθεος ο αδελφος c. I, 1. Quæ Paulli & Timothei conjunctio, cum & alibi in epistolis Paullinis observetur, 2. Cor. I, 1. Phil. I, 1. 1. Thess. I, 1. &c. testimonio est, de alio Paullo, quam Apostolo Timotheique patre in Christo & doctore, cogitandum hoc loco non

Auctor epistolæ est S. Paullus Apostolus.

 esse.

esse. Occurrunt insuper per totam epistolam signa certaque facta, in alio nemine quam in S. Paullo obvia, ut sunt, quae de vinculis & calamitatibus leguntur, cap. I, 24. cap. IV, 7. sqq. de apostolatu apud gentes obeundo, cap. I, 23, 25. de sociis periculorum, horumque nominibus; cap. IV, 9, 10. quae omnia & singula unum & solum Σκευος εκλογης IESV CHRISTI indicant. His si nomen Paulli in ipsa epistola repetitum addideris, vix erit, quod assensum tuum remoretur. cap. I, 23. Res & sententiae in literis propositae, Paulli spiritum sanctissimumque fervorem produnt clarissime, quemadmodum scripturae genus, cum aliis indubiis Paulli scriptis collatum, phrasesque Apostolo familiares, immo etiam propriae, idem confirmant. (conf. §. XIII.) Finis denique epistolae, omnem dubitandi causam excludit, qui aperte Paulli & nomen & salutandi morem, quin & certissimam tesseram symbolicam (2. Thess. III, 17.) exhibet: *Ο ασπασμος τη εμη χειρι Παυλȣ. Μνημονευετε μȣ των δεσμων. Η χαρις μεθ' υμων. Αμην.* cap. IV, 18. Adderem constans & perpetuum primitivae ecclesiae testimonium, nisi rem in se certissimam ulteriori & aliunde petita confirmatione non egere, probe intelligerem. conf. MILLII *prolegom. ad N. T. sect. 81. edit. Kuster. p. 10.* Meretur tamen MARCIOnis testimonium a veritate extortum, quod allegetur: vaferrimus enim homo etsi S. Paulli litteris lubentissime omnem fidem atque auctoritatem, quantum poterat, adimere studebat, hujus tamen epistolae auctoritatem negare ausus non est. conf. EPIPHANIVS haeres. 48. p. m. 310.

Dubium ex Act. XVIII, 23. & XVI, 6, removetur.

Equidem ex epistolae nostrae cap. II, 1. opinio subnasci posset lectoribus, ab alio Paullo, quam Apostolo, exaratam eam fuisse: dum enim epistolae auctor refert, se neminem Colossensium Laodicenorumque vidisse, repugnare videtur historiae apostolicae, quippe quae Phrygiam ab Apostolo Paullo lustratam omnino esse, Act. XVI, 6. discipulosque in Galatia & Phrygia ab eodem confirmatos, conceptis verbis perhibet.

Act.

Act. XVIII, 23. At de *Phrygia majori*, ad quam Colossæ pertinuerunt, S. Lucam loqui, verisimile non est; Mysia enim, Bithynia & Galatia, quas Lucas ut a Phrygia proximas nominat, Act. XVI, 7, 8. satis produnt, de *Phrygia minori* ad Mare Aegeum sita sermonem esse. Hanc adierat Paullus, Colossas vero aliasque Phrygiæ majoris urbes nondum viderat, cum nostram ad Colossenses epistolam exararet. conf. *Introductionis nostræ in lection. epist. Paullin. ad Coloss.* Sect. I. §. 7. p. 7.

Longe aliter sentit THEODORETVS, dum verba Coloss. II, 1. Paulli Col. II, 1. eum in modum exponit, ut Laodicenos & Colossenses ab illis, qui Paulli faciem non conspexerant, distinguendos cupiat: βȣλεται γαρ ειπειν, inquit THEODORETVS, οτι ȣ μονον ΥΜΩΝ, αλλα και των μη τεθεαμενον με πολλην εχω φροντιδα. Quam opinionem ut confirmet, ad eum, quem ex actibus Apostolorum citavimus, locum provocat, Paullumque in Phrygia evangelii doctrinam publice docuisse, affirmat. Vtut autem concedamus, verba Paulli Col. II, 1. duplici modo accipi posse, *exclusive* scilicet & *inclusive*, prouti bene observavit SEB. SCHMIDIVS in *comment. ad epist. Coloss.* p. 104. posteriorem tamen priori præstare, verborum nexus aperte satis docet. Etenim cur Paullus Colossensibus & Laodicenis jungit omnes, quos de facie viderat nondum? suam de omnibus sibi faciem ignotis sollicitudinem cur commemorat, dum suam de Colossensibus anxietatem exponit? *Est autem S. Scripturæ moris*, inquit SCHMIDIVS l. c. *quibusdam specialibus positis, reliqua, quæ eiusdem naturæ aut conditionis sunt, generaliter includere.* Nec est tantum modo S. Scripturæ mos, sed & naturalis rerum nexus postulat, de similibus, quorum cum eo, de quo inprimis vel cogitamus vel loquimur, objecto magna similitudo est, cogitare. Dum itaque Paullus meminit, se Colossenses nondum vidisse, quid quæso facilius erat, quam ut reliquorum Christianorum recordaretur, quos etiam non-

dum viderat ipſe. Aſt ſi THEODORETVM audire vellemus, ratio dari poſſet nulla, cur Apoſtolus ſuam de Coloſſenſibus ſollicitudinem jungat illi, quam de omnibus a ſe nondum viſis eccleſiis habebat. Sed ne diutius his immoremur, monet THEODORETI confeſſio: *Αλλα τȣτο μεν ὡς βȣλεται τις νοειτω, ȣδε γαρ δογματων ποιει διαφοραν, το ȣτως η εκεινως ειπειν.*

§. II.

Cur Timotheus Paullo jungatur in epiſtolæ fronte?

Timotheum ſibi jungit Paullus in præmiſſa ſalutatione, cujus vitam ulterius proſequi, inſtituti noſtri ratio non fert. Tenendum potius eſt, a S. Paullo Timotheum ut epiſtolæ auctorem non allegari, ſed nomine Timothei Coloſſenſes modo ſalutari. Quo factum eſt, ut, poſteaquam Paullus in epiſtolæ exordio & ſuo & Timothei nomine verba fecerat, ſuo nomine, & eo ſolo, ſermonem continuaret, numeroque plurali (ut ajunt in ſcholis Grammaticorum) dimiſſo, ſingularem adhiberet. cap. I, 23, 24. c. II, 1. c. IV, 3, 4. ſeqq.

Erat autem *Timotheus* per Aſiam minorem notiſſimus, & in ore omnium diſcipulorum Paulli celebratiſſimus, cujus miniſterio apud Epheſios, Coloſſenſium vicinos, nec non apud alios Aſiæ incolas, feliciſſime uſus fuerat Apoſtolus. Quem filium ſuum cariſſimum ut omnibus optima de nota commendaret, ſibi non ſolum ſæpiſſime in literis junxit, ſed & blandiſſimo *αδελφȣ* titulo cohoneſtavit. Exoſculor ſummam Apoſtoli manſuetudinem atque humilitatem, qua diſcipulum, magiſtro ne parem quidem, multo minus majorem, in totius eccleſiæ conſeſſu honoravit, ſuoque exemplo confirmavit præceptum aliis inculcatum: *Τη ταπεινοφροσυνη αλληλȣς ηγȣμενοι υπερεχοντας εαυτων.* Phil. II, 3. *Nihil enim*, inquit WEINRICHIVS, theologus Lipſienſis antiqua fide & religione, *melius ædificat eccleſiam, quam ubi inter docentes mutua quædam eſt animorum & laborum conjunctio, ſinceritas & benevolentia, qua ſublata, non modo*

do oleum & opera in docendo perit, sed & infinitis ecclesia ipsa periculis objicitur. v. *Comment. in II. ad Cor.* p. 36.

Aliam viam ingreditur SAL. VAN TILL, in *Comment. ad quatuor Paulli epistolas*, p. 323. Putat enim, Timotheum S. Paulli nomini nomen suum adjecisse, ut suum quoque consensum testaretur, quippe cujus fama & auctoritas inter Phrygas satis praeclara fuisset. Sed, ut mihi quidem videtur, frustra asseritur, Timotheum nomen suum adscripsisse, quia dicendum potius erat, Paullum nomen Timothei adscripsisse, vel adscribi jussisse. Nec adeo necessarius erat Timothei consensus; Timotheum enim inter Colossenses tantae auctoritatis fuisse, ut Paullo apud eosdem fidem conciliare potuisset, vix mihi persuadent conjecturae a TILLIO allatae. Ecquid enim opus erat consensu Timothei? nonne Colossensibus de Paulli divina legatione ac infallibili doctrina satis constabat? Vt taceam, Colossensibus Epaphram magis, quam Timotheum, notum fuisse: unde enim probatur, Timotheum unquam Colossis fuisse illo, quo nunc Paullus scribebat tempore?

SAL. van TILL conjectura reiicitur.

Quae Theologo Göttingensium celeberrimo, de hac Paulli & Timothei conjunctione, in mentem nuper venerint, sequens §. docebit.

§. III.

Manu sua S. Paullus literas has non exaravit, sed consueta subscriptione obsignavit. cap. IV, 18. Paullum enim saepissime scribae manu usum esse, epistolasque in calamum aliis dictasse, abunde constat. vid. Celebr. PFAFFIVS *de variis N. T. lectionibus* c. I. §. 4. p. m. 44, 45. Sic *Tertius* ad Romanos scripsit, dictante Paullo, Rom. XVI, 22. & Paullus ipse Galatis ceu insigne amoris documentum inculcat, quod propria manu prolixam ad ipsos epistolam exarasset. Gal. VI, 11. Quin & immo, ne spuriae pro genuinis Apostoli literis venditari possent, *υπογραφην* propria manu subscripsit, eandemque ob cau

Scriba, cujus manu S. Paullus in exaranda hac epistola usus.

sam addidit: ουτω γεαφω, *sic calamum ducere soleo:* quod ut adderet frustraneum fuisset, si priora manu propria exarasset. conf. 2. Thess. III. 17, 18. Hanc υπογεαφην in nostra epistola quoque reperimus, indeque recte colligimus, præter ultimas lineas Paullum sua manu scripsisse nullas, cæteras dictasse. Quodsi enim totam epistolam scripsit, cur in fine addidit: ο ασπασμος τη εμη χειρι παυλε; Nova hinc quæstio oritur, nimirum quis ille fuerit, cujus opera Paullus usus est in exarandis ad Colossenses literis? Antiqua epistolæ subscriptio, quæ, ut reliquæ fere omnes, sublestæ fidei est, nominat *Tychicum* & *Onesimum.* Sic enim fluit: Πεος Κολοσσαεις ΕΓΡΑΦΗ απο Ρωμης δια Τυχικου και Ονησιμε. Vt autem taceam, possibile quidem, nequaquam verisimile esse, duos amanuenses in brevi hac epistola Paullum adhibuisse, aliunde quidem constat, in υπογεαφαις sublestis vocem εγεαφη per synthesin vel metalepsin poni pro γεαφθεισα απεσαλη δια Τυχικε, quemadmodum subscriptionem epistolæ ad Romanos, Corinthios, Ephesios, Philippenses interpretatus est b. D. RAMBACHIVS in *introduct. in epist. ad Rom.* p. 16. Quod si vero celeberrimum apud Gœttingenses theologum, D. CHR. AVG. HEVMANNVM audiremus, prolixiori disputatione de Scriba opus non esset, quippe cujus nomen in fronte literarum nomini S. Paulli additum cerneremus. Quam conjecturam nuper in epistola ad venerabilem Dn. D. COTTAM gratulatoria, *de Scribis epistolarum Paulli*, (a. 1739. Göttingæ edita,) in lucem protulit. Etsi sagacitatem viri doctissimi pariter & modestissimi perspectam habeo, vix ac ne vix quidem credo, lydium lapidem ferre posse argumentationem: *Paullus sua manu ad Colossenses non scripsit; Ergo jure statuitur, scriba usum esse Apostolum Timotheo, ineunte epistola nominato.* p. 7. Nonne quæso in epistola utraque ad Thessalonicenses tria nomina præmissa leguntur, *Paulli* nempe, *Silvani*, & *Timothei?* Sed duobus scribis in una epistola exaranda Paullum fuisse usum, ne ipse quidem celeberrimus doctor affirmare au-

Celebr. D. HEVMANNI conjectura.

ſus eſt. Regerit tamen Silvanum honoris gratia, Timotheum operæ ſervilis cauſſa, nominari. p. 8. Quidni utrumque honoris cauſſa nominatum dicerem ego? Dummodo dicere ſatis eſſet. Nec, quod εν τοις δεσμοις Paulli, manus catena fuerit conſtricta & circumdata, rem conficit: nihil enim prohibebat, quo minus manu uteretur libera, brachio a catena impedito. Et reapſe εν τοις δεσμοις ſcripſit manu propria, Col. IV, 18. Sed tanti non eſt controverſia, ut diutius eidem inhæreamus, nec eam ipſe Celebr. D. HEVMANNVS tanti putavit. Cæterum, docendum omnino eſt, ſanctiſſimæ θεοπνευςια non repugnare, quod S. Paullus ſcribæ opera uſus, in exaranda hac ad canonem N. T. pertinente epiſtola. Equidem ſi Apoſtolus dictavit, ſcribaque calamo dictata excepit, homini incredulo ſubnaſcitur ſcrupulus, de infallibilitate epiſtolæ pariter & αυθεντια. Negari quippe non poteſt, multa menda vitio ſcribarum in ſcripta veterum irrepſiſſe, quæ cum a dictante, tum a ſcribente, haud incommode derivantur. Dabit itaque incredulus, Paullum Apoſtolum fuiſſe θεοπνευςον, ſed ſcribam dictantis vocem ſenſumque recte & plene ſemper aſſecutum, hæſitabit. Vtut Paullus diſtincte & clare dictaverit verba θεοπνευςα; apud Græcos tamen varia ſunt vocabula, quæ aut plane, aut fere eodem ſono modoque pronunciantur, diverſiſſimam ſed ſignificationem habent: quam facile hæc ab optimo quoque ſcriba miſceri potuerunt? Porro, quam facilis fuit ſcribarum lapſus in permutandis literis, tam vocalibus & conſonis, quam Diphtongis? Orthographiam enim vel pauciſſimi intellexerunt. Non eſt, ut pius exegeta hanc difficultatem objectam pauci putet, quippe lapſus hoſce non modo poſſibiles eſſe, ſed & ſæpiſſime obvios, critici jam dudum confirmarunt. vid. CLERICI *ars critica*, part. III. Sect. I. c. I. & VI, VIII, IX. Exemplum ſi ex noſtra epiſtola deſideras, accipe vocem unam eamque graviſſimam, πρωτοτοκος, Col. I, 15. quæ pro diverſa modula-

Auctoritati divinæ nihil derogat quod Paullus ſcriba uſus fuerit.

dulatione diversam significationem nanciscitur. Tenetur igitur Theologus ad hæc criticorum dubia respondere: nec satis sibi consuluit, quod si ad divinam curam, scribam a graviori lapsu servantem, provocaverit. Pia satis, sed non satis certa esset dubii solutio; sequeretur enim, donum infallibilitatis non in solo Apostolo, sed & in scriba simul, venerandum atque colendum esse, id quod a veritate longissime abest. Finge nostros typothetas, qui scribarum vices apud nos obeunt, describere textum sacrum N. T. adestne illis Dei singularis cura, ne in eo describendo labantur? Finge, Theologum in calamum literas dictare amanuensi, eritne in scriba eadem, quæ in Theologo, gratia atque circumspectio? Temerarium ergo esset, a θεοπνευστια Apostoli ad infallibilitatem scribæ concludere. Nec sufficit dixisse, Paullum, quod per scribam fecit, ipsum fecisse putari. Epistolæ θεοπνευστια non a scriba, sed ab ipso θεοπνευστω viro, dependet; dumque epistolam legimus, nequaquam scribæ, sed Apostoli vocem, verba, res & sensum percipimus, quorum divinam originem eamque immediatam in Paullo agnoscimus. 2. Tim. III, 16. 2. Petr. I, 21. His autem de rebus nunc non quæritur; controversiæ caput in eo versatur, unde certi simus, scribam mentem Apostoli recte ubique percepisse, literisque expressisse? Iustæ caussæ melius consuli non posse, ego quidem existimo, quam ut teneamus, Paullum literas in calamum dictatas perlegisse, easque perlectas divino suo testimonio approbasse. Dum enim Apostolus suum σημειον εν παση επιστολη (2. Thess. III, 17.) ad epistolæ finem adscribit, amanuensis fidem reddit indubiam, seque, quæ scripta leguntur, ceu sua agnoscere, clarissime testatur. Est enim verisimile, Paullum in tam gravi negotio, suum nomen epistolæ, de cujus fide & αυθεντια certus nondum fuisset, prius non subscripsisse, quam & eam perlegisset atque relegisset. Poterant ergo Colossenses, cum a peregrina manu scriptam acciperent epistolam Paulli, ex hujus υπογραφη & apostolica

saluta-

ſalutatione, ac denique ex infallibili σημειω apoſtolico, propriaque S. Paulli ſcribendi ratione, certiſſime ſcire, fraudem ſubeſſe nullam.

§. IV.

Romæ epiſtolam conſcriptam, indeque ad Coloſſenſes miſſam eſſe, non modo allata υπογραφη vetus, cui tamen parum credimus, ſed & ipſe Paullus teſtatur, dum 1.) vinculorum ſuorum, quibus tunc, cum ſcriberet, tenebatur, meminit. Meminit etiam των θλιψεων τȣ χριςȣ, c. I, 24. hasque tribulationes magis determinat, dum των δεσμων *vinculorum* voce utitur. Non carceris, ſed vinculorum nomen Paullus adhibet, idque iuſtis de cauſſis. Cum enim Romæ captivus teneretur, carceri incluſus non erat, ſed catena ferrea militi cuſtodi adſtrictus & cum hoc indivulſo comite copulatus. Poterat per urbem deambulare, amicos viſitare, verbumque evangelii pro lubitu annunciare: ſed ubique miles cuſtos ſequebatur, nec aliter quam ſequi poterat, quippe qui eadem, qua S. Paullus, catena conſtrictus tenebatur. Lucem inde accipiunt Paulli verba, cap. IV, 3. quibus Colloſſenſes rogat, velint Deum precibus fatigare, ut ſibi aperiat θυραν τȣ λογȣ, λαλησαι το μυςηριον τȣ χριςȣ, δι' ο και δεδεμαι. Qui Paullum in carcerem coniectum credunt, vix explicabunt, quomodo Paullus voti hujus potuiſſet damnari: aſt e contrario ex allata vinculorum deſcriptione, omnia ſponte & explicantur & colluſtrantur. vid. HAMMONDVS *in Comment. iu N. T. ad act. XXVIII, 16.* DOVGHTAEVS *in analect. part. II, p. 95.* VECHNERVS *de palo Paulli, §. 39.* Porro 2) ſocios vinculorum comitesque itineris nominat *Lucam*, *Marcum* Barnabæ nepotem, *Ieſum* cognomine Iuſtum, *Tychicum*, *Oneſimum*, de quibus omnibus & ſingulis ex epiſtola ad Philemonem & ex actibus Apoſtolorum conſtat, quod Romæ in contubernio Paulli captivi fuerint. Coptica quidem verſio a WILKINSIO

Locus ubi epiſtola ad Coloſſenſes ſcripta.

Explicatio Col. IV, 3.

edita, nominat Athenas, ceu locum, unde Paulli epiſtola ad Coloſſenſes data: ſed facili negotio reiicitur, ſiquidem Paullus nunquam Athenis in vinculis fuit. conf. WOLFIVS in *cur. philol. ad N. T. tom. I. p. 277.* Conſimili ratione a vero aberrant, qui epiſtolam Epheſi ſcriptam cenſent, quia Epheſinam Paulli captivitatem omnis ſacra hiſtoria ignorat. v. TILLEMONT *memoir. de l'hiſt. eccleſ. tom. I, p. 309.* Eminet omnino ac reliquis palmam præripit CHRYSOSTOMI, THEODORETI, OECVMENII ſententia, a nobis confirmata, Roma ſcilicet Paullum ad Coloſſenſes literas has dediſſe.

§. V.

Tempus, quando epiſtola ſcripta.

Rectiſſime inde affirmatur, ſcriptam eſſe epiſtolam tempore primæ captivitatis Romanæ, in quam S. Paullus tunc temporis miſſus erat. De poſteriori enim captivitate, quo minus cogitemus, prohibet nomen Timothei in fronte literarum obvium, ſiquidem in vinculis poſterioribus Timotheum Roma abfuiſſe, literæ Paulli poſteriores ad Timotheum datæ ſatis teſtantur. Idem vetat nomen *Marci*, Barnabæ nepotis, cuius iuſſu Apoſtolus Coloſſenſibus ſalutem dicit; ſed in poſteriori captivitate Marcus cum Paullo Romæ non fuit. 2. Tim. IV, 11. De priori captivitate loquuntur nomina mox citata, ut ſunt *Timothei*, *Marci*, *Oneſimi*, *Epaphræ*, aliorumque, quos omnes ac ſingulos cum Paullo Romæ fuiſſe, certo certius conſtat. Non ignoro Vener. DN. OEDERVM longe aliter ſenſiſſe, & cum beate defuncto Hamburgenſium Doctore, IO. CHR. WOLFIO, hac de re diſputaſſe, ſed ne me doctiſſimæ huic controverſiæ immiſceam, cauſſæ una plures ſuadent. conf. IO. CHR. WOLFII, *cur. philol. in N. T. tom. III. p. 5. ſeqq.* Ad ERASMVM potius mea ſe convertit oratio, qui Paullum hanc epiſtolam in ficta illa captivitate Epheſina ſcripſiſſe cenſuit. Miror, tanto viro id

Ven. OEDERI opinio.

ERASMI ſententia.

id

id in mentem venire potuisse; quippe quem vinculorum Ephesinorum incertitudo latere non poterat. Omnem rem, si quid recti iudico, dirimunt nomina sociorum Paulli, tam in fronte quam in fine epistolæ nostræ allata; docent enim, de alia nulla, quam Romana captivitate cogitandum esse, ideo quod ex actibus Apostolorum patet, Romæ hos omnes atque singulos captivo Paullo adhæsisse. Sed dum Ephesum cogito, succurrit quæstio, fueritne epistola Paulli ad Ephesios eodem, quo ad Colossenses, tempore scripta? Negat laudatus TILLEMONTIVS *memoir. eccles. tom. I. p. 694. 874.* inque posterioribus Paulli vinculis ad Ephesios datam esse epistolam, probare exinde satagit, quia Timothei nomen in inscriptione epistolæ ad Ephesios horumque salutatione omissum, quod tamen in literis e prioribus vinculis missis semper additum reperiatur. Sed non est, ut propterea a consueta sententia recedamus, cum ex Epistola ad Hebræos, e prioribus vinculis data, c. XIII, 23. constet, quod Timotheus vinculis liberatus fuerit prius, quam Paullus, inque Asiam minorem reversus. Quid itaque prohibet, quo minus asseramus, literas ad Ephesios missas esse, postquam Timotheus vinculis solutus Roma discesserat. Hinc forsitan nominis illa omissio. Vrget TILLEMONTIVS, a Paullo Tychicum missum esse Ephesum, tempore posterioris captivitatis, 2. Tim. IV, 12. cumque epistola ad Ephesios per Tychicum allata fuerit, Eph. VI, 21. sequi, non e prioribus, sed posterioribus vinculis datam esse epistolam ad Ephesios. Vnde vero TILLEMONTIVS probabit, Tychicum semel, non bis, Ephesum rediisse? Loca citata nos docent, Tychicum & in prioribus & in posterioribus vinculis, Paullo adhæsisse, eiusque mandata ad Ephesios, Colossenses, aliosque Christo addictos populos pertulisse. Singula haec corruerent, si opinio, quam Lugdunensis Theologus, IO. WESSELIVS, in orbem divulgauit, valeret. v. *orat. de laudib. Paulli Apostoli.* Doctus enim hic Belga posteriora

TILLEMONTII conjectura rejicitur.

WESSELII noua opinio refutatur.

riora Paulli vincula plane negauit, martyriumque, vincula hæc consequens, fabulis adnumerauit: e contrario quam nos posteriorem, ille non solum priorem ad Timotheum, sed & omnium fere epistolarum Paullinarum primam existimat. Epistolam ad Colossenses in vinculis Paullum scripsisse concedit, sed in prioribus, posteaquam scilicet Timotheum ad se Romam evocaverat. 2. Tim. IV, 9, 21. Prolixe pariter & erudite DN. WESSELIVM confutavit Plur. Rever DN. M. GVDIVS, in peculiari diatribe, quam suæ *de ecclesiæ Ephesinæ Statu* commentationi p. 228. subiunxit. Brevitatis caussa unum hoc monemus, quod inter vincula in epistola ad Colossenses commemorata, & vincula in posteriori ad Timotheum allegata, maximum intercedat discrimen, WESSELII opinionem uno impetu proiiciens. Ex illis evasit vivus, spemque semper habuit firmissimam, fore ut ad Philemonem suosque salvus rediret: Philem. v. 22. Ex his ut liber dimitteretur, spem plane nullam habebat, seque ad ultima fata subeunda præparabat. Quid, præparabat? Quin etiam de martyrio instanti vaticinabatur. Quod enim 2. Tim. IV, 16. seqq. legitur, nuda ad mortem præparatio dicenda non est, sed prædictio & vaticinium hominis θεοπνευστου, cujus complementum sequi necessario debuit. Hæc si b. SEB. SCHMIDIVS ponderasset, dubium non est, eum absque hæsitatione sententiæ nostræ subscripsisse, quod facere olim quidem dubitavit. Sic enim: *Communiter*, inquit, *ad priorem captivitatem referunt, sunt tamen, quæ rem dubiam faciunt: nisi quod communi sententiæ nolumus contradicere.* vid. *Comment. ad Coloss. p.* 2.

Sitne epistola ad Philemonem eodem tempore scripta.

Eodem tempore, quo ad Colossenses, Paullus etiam scripsit ad Philemonem, id quod tam ex Onesimo, hujus epistolæ latore, Col. IV, 9. collat. Philem. v. 13. seqq. quam ex salutationibus nomine Epaphræ, vinculorum socii, Col. IV, 12, 13. Marci, Aristarchi, Demæ & Lucæ, haud incongrue colligitur Col. IV, 10. seqq. collat. Philem. v. 23, 24. TILLEMONTIVS

TIVS quidem in partes CHRYSOSTOMI & THEODORETI abiit, epistolamque Paulli ad Philemonem uno anno prius, quam hanc ad Colossenses, scriptam existimavit. Sed argumentum, quo summi illi Viri nituntur, nostrum assensum extorquere non potuit. vid. *memoir. de l'hist. eccles. T. I.* p. 605. Existimant enim epistolam per Onesimum mitti non potuisse, nisi antea cum hero suo Philemone in gratiam rediisset, & Philemon Onesimum Romam ad Paullum remisisset. Sed etsi Paullus restatur, Onesimum sibi in vinculis multo usui fuisse, Philem. v. 13, 14. nequaquam tamen a Philemone postulat, ut eundem ad se remittat. Et qui potuisset eum remittere Philemon, dum Paullus his ipsis in literis mandabat, ut hospitium sibi proxime venienti pararetur? Interim, si quid nos a nostra sententia mouere posset, SEB. SCHMIDII observatio id efficeret, qua tradit, Aristarchum Col. IV, 10. *captivum*, sed Philem. v. 26 *liberum* sisti; Epaphram Col. IV, 12 *liberum*, sed Philem. v. 25. *captivum* dici: quae simul stare non possent, si utraque epistola uno anno, unoque & eodem tempore, scripta fuisset. At enimvero Apostolus etsi Epaphrae vincula tacuit in epistola ad Colossenses, neque tamen ea negauit. Habuit caussas suas, cur hoc loco taceret: habuit etiam, cur illo loco ea celebraret; Idem de Aristarcho est iudicandum. Tandem evolventi mihi HEIDEGGERI *enchiridion bibl.* p. 902. admiratio subnascitur, doctissimum virum levissima ratione adductum, epistolam nostram ad posteriora vincula S. Paulli retulisse. Vrget scilicet, Paullum Col. IV, 16. meminisse epistolae Laodicea scriptae, hoc est, ut ipse putat, prioris ad Timotheum, quae post priora vincula scripta est. Sed frustra haec dicuntur, cum ex sedula verborum Paullinorum consideratione pateat ad oculum, epistolam a Laodicenis (ἐκ Λαοδικείας) ad Paullum missam intelligi, non ad Laodicenos, quemadmodum *Sect. I. introductionis nostrae in lectionem epistolae S. Paulli ad Colossenses*, §. 19. p. 33. evicimus. Tandem observasse iuvabit, quia Apostolus Philemonem rogat, v. 22. ut sibi hospitium

TILLEMONTIVS notatur.

SEB. SCHMIDII observatio.

HEIDEGGERVS notatur.

Sub Finem primae Rom. Captivitatis

vitatis scripta est. tium paret, epistolas ad Colossenses & Philemonem sub finem primae captivitatis Romanae scriptas credi, cum S. Paullo proxima spes in Asiam redeundi facta esset. Cadit autem liberatio S. Paulli e prioribus vinculis, in annum Neronis secundum vel tertium, qui fuit a N. C. LX. vel LXI. si recte calculum posuimus in PRITII *introduct. ad lectionem N. T.* p. 247. *edit. nostrae.*

§. VI.

Tabellarii epistolae.

Per *Tychicum* missa est epistola ad Colossenses, c. IV, 7. cui Apostolus simul imperavit, ut Colossensibus oretenus narraret, quae sit suae Romanae captiuitatis conditio, quae spes libertatis. Τα κατ' εμε παντα γνωρισει υμιν, *quae ad me, omnia narrabit vobis.* *Col.* IV. 7. Vitam hujus nuncii vere Apostolici, in allegata *Sect. I. introd. nostrae* §. 18. p. 28, 29. recensuimus, uti etiam p. 25. seqq. de *Onesimo*, qui comitatus est Tychicum, monuimus, quod olim impius, postea ad Christum conversus, & ad dominum suum Philemonem remissus fuerit. Col. IV, 9. SALOMO VAN TILL existimat, remittendam fuisse epistolam per Epaphram, ut Legatum Colossensium ad S. Paullum; fieri autem non potuisse, ob intervenientem Epaphrae captivitatem; vocatur enim in epistola ad Philemonem v. 23. Paulli συναιχμαλωτος εν χριστω Ιησου. Caeterum patet inde, veterem υπογραφην hujus epistolae recte sese habere: Προς Κολοσσαεις εγραφη (missa est v. §. 3.) απο Ρωμης δια Τυχικου και Ονησιμου. *Leicestrensis codex* Τυχικον και Τιμοθεον nominat, sed ex epistolae inscriptione facillime ostenditur, Timothei nomen in mendo cubare. *Syrus* interpres Onesimum omisit, *Coptica* autem versio Achaicum & Marcum superaddidit, observante IO. MILLIO *in N. T.* p. 472. *edit. Küster.*

§. VII.

Lingua Graeca epistola est scripta.

Lingua Graeca exaratam esse epistolam, Graecus Textus non modo, sed omnium saeculorum doctores uno ore profiten-

tentur. Cum enim Colossenses, ad eos qui Asiam incolentes græca lingua loquebantur, pertinerent, omnesque Phrygum nummi, etiamnum extantes, Græcis inscriptionibus sint ornati, Paullus quoque Graece ad hos scribere debuit, voluit. Sapientissimum præterea fuit DEI consilium, ut Græca lingua omnes N. T. libri conscriberentur, quippe quæ illa ætate, qua evangelium omnibus sub sole populis annunciandum erat, fere ab omnibus & legi & intelligi poterat. *Græca leguntur in omnibus fere gentibus*, inquit CICERO, *latina suis finibus exiguis sane, continentur. orat. pro Archia c. x.* cui IVVENALIS accedit. Sat. 15.

Nunc totus Graias habet orbis Athenas.

Sed quia hæc in notis ad b. PRITII introd. p. 287. prolixius confirmavi, filum orationis abrumpo, ne crambem bis coctam apponere videar.

De puritate linguæ græcæ ab Apostolo neglecta, conquesti sunt viri pene multi, nunc Cilicismorum, nunc Barbarismorum, nunc Ebraismorum, immo vero & Soloecismorum Paullum damnantes. Nuperrime easdem calumnias repetiit IO. LAMIVS, in Academia Florentina Professor Publicus, in libro *de eruditione Apostolorum*, p. 161. seqq. veritusque non est, Paullum nostrum rusticis adnumerare, ac varia in Apostolum iniuria proferre: cujus temeritatem utinam plures castigarent. Castigabunt autem, qui artes fraudesque LAMIANAS, quidni & Pontificias, quousque tendant, animadvertunt. In hac ad Colossenses epistola, iidem hypercritici se multa, a puritate linguæ declinantia, reperisse sibi videbantur, ad quæ vindices tamen stili sacri satis abundeque responderunt. In primis *criticæ curæ* b. IO. CHRIST. WOLFII laudibus eximiis sunt ornandæ, quibus virorum doctissimorum observationes in unum volumen studiose collegit, & ad vindicandam S. Scripturæ dignitatem necessaria quævis & utilia congessit. Linguæ Græcæ puritas.

Addan-

Addantur nobilissimi Angli, ANTONII BLACKWALLI, *The sacred Classics defended and illustrated Tom. 1. part.* I. c. 1. 2. seqq. cujus regulae, de servata ab Apostolis linguae graecae analogia, optimae quidem, sed curatius ponderandae, disponendae, atque vindicandae, mihi videntur. Ne quid de aliis virorum laudatissimorum, in nostra praesertim Academia & olim & nunc clarissimorum, laboribus dicam, quorum scrinia expilare nefas est.

§. VIII.

De stilo Apostoli Paulli.

Nec est, ut de Stilo S. Paulli Apostoli plura praecipiamus. Qui unam alteramve epistolam Paulli perlegit, ad nostram si accedet, sine mora genus scripturae, quod Paullus proprium habet, animadvertet, hacque cum caeteris Paullinis collata, nullus dubitabit, virum, cujus stilum nemo facile imitabitur, loqui & scribere. *Non est cuiusvis hominis Paullinum pectus effingere. Tonat, fulgurat, meras flammas loquitur Paullus*, inquit ERASMVS *in annotat. ad N. T.* p. 450. Habet Paulli stilus suos characteres, a doctis interpretibus multa opera observatos, nunc ad nostram epistolam paucis applicandos, ita tamen, ut quid mihi de singulis videatur, candide edisseram. In salutationis formula S. Paullus gratiam Dei solet paci divinae praemittere, χαρις υμιν και ειρηνη απο Θεȣ Πατρος &c. Rom. I, 7. 1. Cor. I, 3. 2. Cor. I, 2. Gal. I, 3. Ephes. I, 3. quod vel ideo fecit, ut originem pacis paci ipsi praeponeret, omnemque Christianorum felicitatem a divina gratia, amore, benevolentia, & misericordia derivandam doceret. Eandem consuetudinem retinet in nostris ad Colossenses literis, suisque ειρηνην post χαριν adprecatur. cap. I, 2. *Pax enim est fructus & effectus gratiae: neque quisquam conscientiae tranquillitate frui potest, nisi de favore divino, & de reconciliatione cum summo Numine firmiter persuasus.* vid. RAMBACHIVS in *instit. hermen. Sacr.* p. 246. Rei natura exigit hunc ordinem, non solum a S. Paullo, sed & a Petro & Ioanne observatum. v. 1. Petr.

Notae characteristicae stili Paullini, cum epicrisi repetitae.

n. 1.

I, 2.

I, 2. 2. Petr. I, 2. 2. Ioh. 3. quare & hunc characterem dicere Apostolicum, quam Paullinum, mallem ego. Vtitur sæpe Paul- n. 2.
lus nomine *Iesu Christi, Patris Iesu Christi, & Domini;* Idem facit in nostra epistola, ubi statim ab initio Θεος πατηρ ἡμων και ΚΥΡΙΟΥ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ celebratur, c. I, 2. 3. 4. 14. adde porro cap. II, 1. 2. 6. c. III, 18. Sed neque hunc characterem Paullo proprium dicerem ego, siquidem in scriptis S. Petri, & S. Ioannis dulcissima illa nomina coniuncta, horum paucas paginas si ad illius prolixiores epistolas dimetieris, toties fere, ac in Paulli literis leguntur. Consuescit Paullus, unio- n. 3.
nem & conformitatem fidelium cum Christo inculcare, & ceu maximum novi foederis beneficium laudare. Vide quæso, quam diligentissime hac de unione mystica in nostra epistola præcipiat; Christum την κεφαλην τȣ σωματος c. I, 18. seqq. c. II, 10, 12. mortem cum Christo, & sepulturam c. II, 12. c. III, 3. vitam & resurrectionem cum Christo commemorat c. II, 13, 18. c. III, 1. seqq. Atque de hoc charactere recte monent exegetæ, quod sit Paullo peculiaris, rariusque ab aliis scriptoribus N. T. adhibitus. Solitus est Paullus divinitatem n. 4.
muneris sui Apostolici præ se ferre, Gal. I, 2. 2. Cor. XI, & passim; eundem morem in nostra epistola servat, suaque in ecclesiam IESV merita decenter prædicat, Col. I. 23, 29. Ev- n. 5.
angelium ut plurimum titulo μυςηςιȣ condecoravit, quod ab aliis Apostolis factum ignoro, sic & Col. I, 26, 27. c. II, 2.
c. IV. 3. Iesum ut *Omnia in Omnibus* neophytis semper fere n. 6.
commendavit: idem agit Col. I. 16, 17. c. II, 3, 10, 11. Christoque uni omnem salutem, vitæque æternæ spem nobis partam, vindicat.
Apostolus contra Iudæos evangelii hostes & contemtores, di- n. 7.
vino zelo semper ferbuit, summaque animi vehementia in semi-iudaizantes detonuit: ab his enim summa pericula imminere Christiano cœtui, optime intellexit. Colossensibus præcipue damno esse poterant turbæ, a semi-iudaizantibus in Galatia excitatæ: hinc cap. II. tot. contra hos turbatores pugnat, di-

n. 8. ſputat, declamat. Tenerrimum affectum amoris in auditores & diſcipulos ſuos ubique exprimit. Quam blande quæſo agit cum Coloſſenſibus? Se ut patrem pro infantibus apud Deum intercedere, Col. I, 9. ſe de ſalute eorum (αγωνα εχειν) ſummopere angi, Col. II, 1. refert: laudat etiam amorem, quo Coloſſenſes in veritatem ferebantur, Col. I. 3,4. atque hac ratione
n. 9. pro more ſuo animis ſeſe inſinuat. Vinculorum ſuorum aliorumque periculorum & laborum, frequenter alibi meminit: ſic & c. I,24. c. IV,18. hortatur Coloſſenſes, ſuarum ærumnarum ne obli-
n. 10. viſcantur. Tradita veræ religionis doctrina, ad hominis Chriſtiani officia pergere, vitæque ſanctitatem cum fidei puritate coniungere, perpetuus Apoſtoli mos fuit in conſcribendis literis: Sic & in noſtra epiſtola, poſtquam a Coloſſenſibus veram religionem ſollicite cuſtodiendam præceperat, c. I. & II. ad ſan-
n. 11. ctam vitam agendam graviſſime hortatur, cap. III. & IV. In fine literarum ſuarum Paullus ſalutem dicere nomine amicorum fratribus notis ſolitus eſt; ſic & in noſtra c. IV. 7. ad fin. multa leguntur nomina amicorum, quibus Paullus ſalutem im-
n. 12. pertitur, quorum & iuſſu Coloſſenſibus ſalutem dicit. Propria manu literis ſubſcribere divinamque gratiam fidelibus apprecari, aſſolet: ſic & Col. IV. 10. ο ασπασμος τη εμη χειρι Παυλȣ. - - Η χαρις μεϑ' υμων, αμην. Sequitur Apoſtolus morem forenſem, quo, ut præcedentis ſcripturæ fides confirmaretur, chirographumque certo ſcriptoris & auctoris ſigno dignoſci poſſet, nomina ſua apponere ſolebant, qui in ære alieno erant v. SALMASIVS *de modo uſurar. cap. II.* His omnibus atque ſingulis rite ponderatis, nemo facile erit, qui epiſtolam ad Coloſſenſes ab alio, quam a S. Paullo exaratam affirmet: in primis ſi ea, quæ §. 1. a nobis ſunt allata, addiderit.

§. IX.

De occaſione ſcribendi hanc epiſtolam.

Qua data occaſione Paullus ad Coloſſenſes dederit epiſtolam, ex ipſa hac, huiusque argumento luculentiſſime patet.

tet. Venerat Epaphras Romam, captivoque Paullo Colossensium conversionem ad Iesum nunciaverat. Col. I, 4. 7. Quo læto nuncio Apostolus recreatus, non poterat, quin gaudium suum per literas testaretur, Christique sacris initiatos in veritate suo quoque testimonio corroboraret. Col. I, 23. c. II, 2, 3. seqq.

Ab Epaphra idem acceperat, in Phrygiæ vicinia turbas multas esse excitatas per Semi-iudaizantium deliria, de legis Mosaicæ æterna observatione, eiusdemque cum Evangelio necessaria coniunctione. Immo vero etiam fit verisimile, Epaphram ideo a Colossensibus ad Paullum missum fuisse, ut, quid de hac Iudaismi cum Christianismo commixtione censendum, quæreret. Cum enim præcipue id in epistola agatur, ut ab imminenti hæresi ecclesia Colossensis sancta & pura servetur, utque ab observatione rituum Mosaicorum avocaretur, (conf. Coloss. II. tot.) prona est conjectura, Epaphram de Gnosticorum peste ad Paullum detulisse, Apostoloque occasionem scribendi dedisse.

His addimus literas a Laodicenis ad Apostolum datas, quæ sine ullo dubio eadem de caussa ad S. Paullum exaratæ, & per Epaphram missæ fuerant. Nam, cum hæ ad Colossenses cum Laodicenis communicandæ essent, ut sint loco responsi, necesse est, in his ad quæstionem a Laodicenis propositam, responsionem iustam obviare. Misisse autem Laodicenos ad Paullum literas, nemo dubitabit, qui ad verba Paulli rite attenderit: και την ΕΚ ΛΑΟΔΙΚΕΙΑΣ ινα και υμεις αναγνωτε. Col. IV, 16. Plura diximus, ut antea monuimus, *Sect. I. introd. nostræ in lectionem Epistolæ ad Coloss.* §. 19. p. 33. & in notis ad b. PRITII *introd. in N. T.* p. m. 137. nunc etiam IO. LAMIVS *de erudit. apost.* p. 166. addi poterit.

In hac triplici occasione acquiescimus, utut plures a Clar. Dn. STARCKIO *in Synops. bibl. exeget.* Tom. III. p. 243. allegatas videamus, maximam partem ad nostrum nume-

rum ternarium referendas. Duas modo caussas citavit SEB. SCHMIDIVS in *Comment. ad Coloss. p. 4.* nimirum ex parte Colossensium, periculum seductionis per Pseudo-Doctores, c. II, 8-18. ex parte Apostoli, paternam pro Colossensibus curam & sollicitudinem. c. II, 1. De b. FR. BALDVINI sententia, nobiscum plane conspirante, vide sis aureum volumen *comment. in epistol. Paullin.* p. m. 1036.

§. X.

De Scopo huius epistolæ.

Exinde patet, quem scopum Apostolus sibi præfixum habuerit, nostram cum componeret epistolam. Ipse conceptis verbis perhibet, totum se in id incumbere, ut corda Colossensium in agnita veritate *confirmaret*, Col. II, 2. quam etiam ob caussam Tychicum Colossas miserat, ινα παρακαλησῃ τας καρδιας υμων. Col. IV, 8. Quæ confirmatio vel ideo necessaria erat, quod seductores in propinquo erant, quorum lenociniis animi fidelium distrahi atque disturbari facile potuissent, faciliorque ad illos transitus fuisset, nisi auctoritas summi Apostoli obstitisset. Vult Paullus in tempore pravis hæreticorum machinationibus occurrere, animos Colossensium in veritate & sanctitate obfirmare, Christi regnum in iis stabilire, & credentes ab omni mentis fluctuatione liberare. Nemo Apostoli curam reprehendet, dummodo secum ponderaverit, erroneas Semi-iudaizantium opiniones in ipsum fidei fundamentum impingere, nempe in doctrinam de iustificatione hominis peccatoris coram DEO, &, quæ cum hac proxime connexa est, de discrimine legis & evangelii. Nec poterat prius ad sanctos mores adhortari, quam de fidei puritate, ceu firmissima theologiæ moralis columna, præceperat Paullus: quam methodum ut supra observavimus, in omnibus fere epistolis studiose retinuit.

§. XI.

De Semi-iudai-

Necesse autem erit, ut turbas ab Hæreticis in Colossensi ecclesia

ecclesia huiusque vicinia motas, curatius paullo lustremus; interest enim interpretis, ut horum notitiam habeat certiorem. Erant olim, qui Christo nomina sua dare quidem non dubitabant, hac tamen lege, ut Iudaismum cum Christianismo conjungendum, cæremoniasque Mosaicas cum Evangelio combinandas autumarent. Admittebant gentiles ad ecclesiæ Christianæ consortium, si difficili circumcisionis legi sese submitterent, id quod ex Act. XV. luculentissime patet. Nuncium itaque Iudaicæ superstitioni misisse videbantur, sed leges Mosaicas, quas æternas putabant, de festis diebus, de ieiunio, de discrimine ciborum, &c. simul cum institutis Christianorum observabant. Paullus falsos hos doctores traducit nomine *dolosorum operariorum*, habitum atque nomen Apostolorum Iesu mentientium. Οι γαρ τοιουτοι ψευδαποστολοι, εργαται δολιοι, μετασχηματιζομενοι εις αποστολους Χριστου. 2. Cor. XI, 13. Hos inter ex EPIPHANII *hæres.* 26, c. 2. & PHILASTRII *de hæres.* c. 36. catalogis, *Cerinthus* nominandus esset, quippe qui legis Mosaicæ æternam necessitatem ubique crepabat: Legem Evangelio miscuit, teste HIERONYMO epist. 89. Paullique epistolas, suæ hæresi aperte nimis contradicentes, repudiavit, ut recte monuit EPIPHANIVS l. c. cap. 6. conf. ITTIGIVS de *hæresiarchis ævi Apostol. Sect.* I. c. V. §. 3. p. m. 58. Iudaicis ritibus favebat quoque EBION, circumcisionemque retinendam omni nisu svadebat, novaque sic miscebat, ut vetera non amitteret. HIERONYMVS l. c. *Nazaræos* his adderem, dummodo certiora de horum erroribus documenta prostarent. Cæterum fit mihi verisimile, Semi-iudaizantium errores late pariter & facile propagari potuisse inter Ex-Iudæos, quia non poterant non Ψευδαποστολοι admodum placere omnibus, patria instituta avitamque religionem ægre dimittentibus. Ecclesiam Antiochenam adeo in diversas partes scindebant iidem, ut non nisi Apostolorum effatis, in Concilio Hierosolymitano prolatis,

zantibus hæreticis sæculi I.

tis, lites componi possent. Act. XV. 20. seqq. & c. XXI. 25. Quodsi receptam sententiam, de HERMOGENE, PHYGELLO, HYMENAEO & PHILETO sequi vellem, hos etiam illis, qui & mores & instituta iudaica cum religione Christiana copulare sategerunt, adnumerarem. Sed, quoniam nec verba Paullina, 2. Tim. II, 16. ad quæ vulgo provocatur, rem conficiunt, neque aliunde certiora argumenta adduci possunt, animo pendemus. Qui plura de Semi-iudaizantium familia nosse cupit, adeat BVDDEVM *de statu eccles. Apostol.* cap. 3. p. 194. seqq. & c. 5. p. 292. ITTIGIVM *de hæresiarch.* Sect. I. c. 5, 6, 7, 8. &c. ADR. COCQVIVM *in observ. critico-sacris* p. 8, 9. CAMP. VITRINGAM *in observ. Sacr.* L. 4. c. 9. SALOMONEM VAN TILL in *isagog. ad quatuor epist. Paulli.* p. 12. Omnis fere Galatia, ab iisdem Semi-iudaizantibus occupata fuerat, Gal. I, 6. & c. III, 1. seqq. quæ cum a Phrygia esset proxima, S. Paullus timebat, ne inter Colossenses eædem turbæ proxime orirentur. Quibus ut occurreret, in nostra epistola cap. II. gravissime disputat de abolitione legis Mosaicæ, quam aptissime dicebat σκιαν των μελλοντων, v. 17. vt Colossenses ipsi inde concluderent, antitypo adueniente typos cessare, lucique umbras & nebulas cedere. Vrget porro, legis cum evangelio commixtionem, non esse κατα Χριστον; baptismum in locum circumcisionis venisse: chirographum e medio per CHRISTVM sublatum: & quæ sunt reliqua, a SALOMONE VAN TILL in *isagog. ad quatuor Paullin. epist.* p. 364. diligenter observata. Sunt, qui Colossenses erroneis his opinionibus iam circumventos fuisse autumant. Ego vero, quid in Colossensium fide, tantis laudibus ab Apostolo ornata, desiderari queat, ex epistola nostra non intelligo. Non agit cum Colossensibus prouti cum Galatis, diuinus Apostolus; sed ne aures futuris seductoribus præberent (hactenus enim nondum præbuerant) diligenter cavet.

Ab hac hæresi Colossensibus metuebat S. Paullus malum.

Recte exinde colligitur, quid Paulus, si etiamnum superstes esset, de *Roman. Missionariorum* artibus, quibus sese ad gentilium opiniones accommodant, sit pronunciaturus. Quemadmodum enim veteres semi-iudaizantes tempori inserviebant, Iudæisque recens ad Christum conversis observationem legis Mosaicæ concedebant, immo vero etiam Ex-gentilibus, ne Iudæis offendiculo essent, eandem erga Mosaica instituta obedientiam imperabant: Sic & hodie, qui Sinensibus & Indis, Christo nomina sua dantibus, pristina pagana instituta ut teneant, temere concedunt, arcam fœderis lateri Dagonis idoli iungunt, ipsique turpi adulatione & servili timore quosdam superstitiosos & idololatricos profanarum gentium ritus sectantur. Caussam interserunt, dandum quid esse præiudicatis & inveteratis opinionibus, difficulter ex animis hominum eruendis: utendum esse mediis, per quæ facilior aditus ad gentes daretur novis doctoribus: eligendum esse malum minus, ne ab omni consortio cum convertendis excluderentur. Rem exemplo confirmabo. Qui ex Ignatii scholis ad Indos proficiscuntur, dubitant nulli, frontem fimo vaccino signare, qui in Malabaria & omni India idolum *Tchiven* hoc signo putido colentium gentilium mos est perpetuus. Negant præterea, se *Francos* esse, i. e. Christianos ex Europa oriundos, Malabaricis nimis exosos: *Sanias* se vocant, ab Aquilone venientes *Braminas* i. e. idolorum sacerdotes. Proh Deum immortalem! hæc si venia, illæsa religionis sanctitate, mendacio datur, de omni inter homines fide, quidni & omni de religione, actum erit proxime. Ast excusant callida sua consilia, seque fimo vaccino tanquam nobilitatis, seu ordinis equestris indice uti, incautis Europæis persuadere student: quibus difficulter admodum imponent, posteaquam celeberrimus LACROZE artes has plenissime detexit. Vid. *Indianischer Christen-Staat*. Libr. VI. cap. II. §. 4. Ne quid

De Rom. Missionariorum simulatione in convertendis Paganis.

quid de cultu *Confucii* dicam, quem isti nuncii imitari nulli hæsitarunt. Ecquam habet lux cum tenebris communionem? Qui posset Christus cum Beliale concordare? 2. Cor. VI, 15. Dixeris, mediis pro obtinendo fine optimo, hoc est, ad conversionem gentilium promovendam, esse utendum: Attamen, media si sunt illicita, finis bonus excusare eadem nequit; mala enim facienda non sunt, ut inde eveniant bona. Rom. III, 8.

§. XII.

De Gnosticis atque Pseudo-Philosophis.

Alia hæreticorum fuit familia, de qua Colossensibus suis malum metuebat Apostolus. Philosophiam scilicet iactitabant *Gnostici*, sed eam Christianæ religioni nocuam, & euangelio Christi contrariam; â qua, ut sibi caverent Colossenses, gravissime monet Paullus: βλεπετε μη τις υμας εσαι ο συλαγωγων δια της φιλοσοφιας και κενης απατης, κατα την παραδοσιν των ανθρωπων, κατα τα στοιχεια τȣ κοσμȣ, και ȣ κατα ΧΡΙΣΤΟΝ. Col. II, 8. Exprimit Apostolus fraudes Gnosticorum uno verbo συλαγωγειν, quod simile, a prædonibus prædæ inhiantibus desumtum, innuit. Ex insidiis hi agere solent, probe gnari, plura occulto quam aperto Marte vinci atque expugnari. Sic & Gnostici animabus Colossensium inhiantes, egregio *Philosophiæ* titulo errores suos palliabant, suaque somnia splendida hac specie commendabant. Vana quidem erat, (κενη) sed simul quoque seducens, (απατη) falsisque plane principiis superstructa philosophia: Qualis enim fuerit, ex v. 8. sequ. clarissime patet, nempe corruptissima Platonico-Pythagorico-Cabbalistica, a Gnosticis sæculo primo iactitata: de qua ut summe venerandi Abbatis, Dn. D. MOSHEMII cogitata studiose legantur & expendantur, non sine ratione suademus. *v. instit. histor. eccles. antiquior.* p 118. seqq. Addi forsitan poterit dissertatio a me nondum visa Clar. M. IO. FRID. STIBRITII *de Platonismo in Cerinthianismo redivivo & a Paullo profligato in Col. II. v. 9.* (Halæ 1736.) Ne plura addam, & rei

Quid συλαγωγειν.

rei obſcuritas & prolixitas prohibet: facilius quippe nobis videtur, vaſtis commentariis, quam paucis lineis, Gnoſticorum & Pſeudo-Philoſophorum ævi Apoſtolici hiſtoriam complecti. Sufficiat monuiſſe, Paullum nihil minus, quam humanæ ſapientiæ ſtudium diſſuadere, ſed figmenta falſo iactatæ Philoſophiæ, Chriſtianæ doctrinæ repugnantia. Addit enim Apoſtolus, την Φιλοσοφιαν tradere την παραδοσιν των ανθρωπων κατα τα ςοιχεια τȣ κοσμȣ, και ΟΥ ΚΑΤΑ ΧΡΙΣΤΟΝ. v. 8. Debeatne Exiudæis, an Exgentilibus an aliis originem ſuam, penes alios eſto iudicium. Sunt, qui eam a luſibus Iudæorum Cabaliſticis deriuandam iudicant. Nec nego, Apoſtolo h. l. rem eſſe cum iis, qui, ſub titulo Philoſophiæ, opiniones Iudaicas Coloſſenſibus commendaturi erant. Præterea, dum Apoſtolus eam, quæ κατα την παραδοσιν των ανθρωπων, κατα τα ςοιχεια τȣ κοσμȣ, Philoſophiam damnat, in mentem nobis venit Iudæorum Pſeudo-Philoſophia, utrique huic fundamento ſuperſtructa. Quis etenim ignorat, Traditiones maiorum auro cariores ſemper habuiſſe Iudæos credulos? Quis neſcit, leges cærimoniales (has enim Paullus per ςοιχεια τȣ κοσμȣ intelligit. conf. Gal. IV, 3.) æternas atque immutabiles credidiſſe Iudæos? Atque ſic in Iudaicam Pſeudo-Philoſophiam effatum Paulli quadrare poteſt, ut vult IO. BRAVNIVS *in ſelect. ſacr. p. 93. Agit Apoſtolus de vana Philoſophia, quæ conſiſtit in deceptionibus, præſertim de Philoſophia ſcribarum & Pharizæorum, qui Iudæorum fuerunt Philoſophi, quemadmodum vocantur a Ioſepho de bello Iud. L. II, c. 12. & antiqu. L. XVIII, c. 2. quæ conſiſtebat in operoſa ratiocinatione,* שורה קל וטומר כזרה *& id genus alia, quibus totum opus Talmudicum ſcatet, & cuius habemus compendium in libro Halichot Olam.* v. BRAVNIVS *in doctr. foeder. p. 13.* Eandem ſententiam fere, niſi quod Theurgiam addiderit, tuetur celeberrimus Berolinenſium Theologus, D. REINBECKIVS *in præf. ad part. II. Betrachtungen über die A. C. p. 50.* Atque hanc Apoſtoli mentem ſe-

 quuntur

quuntur, quotquot ecclesiæ Christianæ bene cupiunt Theologi, usum humanæ sapientiæ ab abusu sedulo distinguentes.

De usu & abusu Philosophiæ.

Graui enim iniuria afficiunt nostros divini verbi ministros, qui, omnem Philosophiam a sacris suis hos arcere, ut fidei carbonariæ patrocinentur, frivole contendunt, rectissime id observante *Theologo summo*, cuius nomen omnis nostra Saxonia sancte veneratur, *in denen zufälligen Gedancken über eines vornehmen Theologi Betrachtungen der A. C. part. II. p. 13.* Parum abest, quin & Reformatorum coetus, quotquot nostra ecclesia alit, Sacerdotes dicat philosophiæ osores atque contemtores. *Falluntur*, inquit IO. BRAVNIVS, *pontificii ac Lutherani, aliique, qui statuunt, rationem habere nullum aut exiguum usum in rebus Theologicis, ut suas tueantur sententias de πολυτοπια & παντοπια vid. doctr. foeder. p. 11.* Quæ accusatio homini Belgæ, illique doctori supralapsario, (sit venia verbo) facile condonatur, quippe qui usum rationis *organicum* & *magisterialem* aperte commiscet. Dolemus vero, easdem tibias inflare nostri sæculi, nostrique cœtus filios quosdam degeneres, ordinem nostrum neglectus Philosophiæ damnantes, quo certe abstinerent, animus nisi in Theologorum libris & scholis hospes esset. Est & manet Philosophiæ sobriæ honos suus in Theologia & usus, nec ullus puriorum doctorum exstirpatam reiectamque cupit humanam sapientiam, dummodo ne abusus obsit sanctissimæ religioni, id quod non raro fieri, experientia magistra est. In *abstracto* considerata philosophia (loquar barbare) nemini non ceu bona & vera placebit: sed sicubi in *concreto* hanc & illam philosophiam sectariam designat, tot humanis lapsibus laborat, ut, quæ ab omni labe immunis, reperiatur nulla. Quam vero tenemus philosophiam, omnis in *concreto* sumitur; theologus igitur, ne philosophia sectaria sanctissimæ religioni sit impedimento, omnino prospiciat necesse est. Quid enim fiet, de nostra religione, quando cum LVDOV. MEIERO sa-

nam rationem dixeris interpretem scripturæ atque religionis? Hunc enim auctorem esse famosissimi libelli, *Philosophia Scripturæ interpres*, BENTHEMIO credimus. vid. *Holländisch. Kirchen Staat.* part. II. c. 2. §. 5. p. 62. Quid, si cum plerisque *Reformatis* rationi tribueris potestatem quasi magisterialem atque principalem? Quid, si cum CLERICO *in Logic.* p. 115. docueris, solam rationem nos docere, quis sit revelationis aliis factæ sensus? Quid, si cum antiquioribus & recentissimis *Pelagianis* omnia gratiæ divinæ auxilia, maxime illuminationem non solum negaveris, sed & Fanaticis opinionibus adnumeraveris, ideo quod philosophia, quomodo gratia in hominis mentem operetur, ignorat? Quid, si passim observaveris, fidem divinam misceri humanæ, & solam credendi caussam in humana sapientia, non in verbo Dei, unico fidei divinæ principio, quæri? *Nervus sane Naturalismi in errore hoc consistit*, (observante Theologo summo Magnif. DN. D. VAL. ERN. LOESCHERO in prænot. theol. p. 225.) *plurimique, ne videantur S. literas & Christianismi auctoritatem omnino repudiare, hoc utuntur tectorio: Reipsa autem sic tollunt e medio dignitatem usumque S. Codicis, & fidem manibus atque pedibus quasi ligatis rationi tradunt.* conf. MEISNERI *philosoph. sobr. part.* I. p. 9 -- 53. Rectissime agunt Theologi, hanc si philosophandi rationem ut impiam respuunt, nobilissimæque scientiæ abusum graviter taxant, secuti exemplum S. Paulli Apostoli, Gnosticos, quod errores suos splendido Philosophiæ titulo vestiebant, multa vi animique commotione redarguentis. Certissima pariter & elegantissima sunt b. LVTHERI nostri verba: *Es ist gar* „ *schimpfflich, daß wir GOttes Wort wollen mit unserer Vernunfft* „ *verfechten, so wir durch das Wort GOttes sollen uns wider alle* „ *Feinde wehren.* Eph. IV, 17. *wäre das nicht ein Narr, der im* „ *Streit seinen Harnisch und sein Schwerdt wolte schützen mit blos-* „ *ser Hand und Kopff? So ists auch, wenn wir GOttes Gesetze,* „ *das unsere Waffen sind, mit unserer Vernunfft schützen wollen.* „ *Tom. I. Altenburg. p. 456. & Tom. I. Ienens. p. 265.* Addi his poterit iusta eiusdem de nimio scholasticæ Theologiæ amore que-

» rela. *Meine lieben Theologen haben sich aus der Mühe und Ar-*
» *beit gesetzt, lassen die Biebeln Biebeln seyn, und lesen* sententias. *Tom. I. Altenburg.* p. 506. Abusum scilicet taxat b. Megalander, more Patrum Ecclesiæ Christianæ primitivæ, quorum effata de Philosophia seductrice abominanda & exterminanda, apud PETAVIUM *dogmat. theol. tom. I. in prolegom. c. III.* legere licet. Accipe unum GREGORII NAZIANZENI locum, in nostram quam vivimus ætatem probe quadrantem, *carm. de vita sua.*

Γλωσσαι τε λαβροι, και πολυστροφοι πλοκαι
Εξ ων το γ' απλουν οιχεται της πιστεως.
Ιστοι τ' αραχνης, σαθρα δεσμωτηρια,
Τα κουφα συνδεοντες ισχυροις γελως,
Ραγειεν, η λυθειεν εν στερροις λογοις
Οι τ' εμπεσοντες εκφυγοιεν τους βροχους.

h. e.

Linguæque audaces & multiplices textus,
Per quas simplicitas perit fidei,
Telæque araneæ, imbecillus carcer,
Quæ levia illigant, robustis risus,
Rumpantur aut solvantur validis sermonibus,
Et qui inciderunt, effugiant laqueos.

Concludam adhortatione venerab. DN. D. REINBECKII, *in præfat. ad part. II. Betrachtungen uber A. C. p. 51.*

Philosophia heist dem Apostel Col. II, 8. so viel, als dasjenige, was in der That nur ein Schein der Weisheit war, von den Menschen aber für Philosophie und Weißheit ausgegeben wurde. Daher den freylich auch noch heuntiges Tages eben diese Ermahnung gilt, daß man sich für falschen Sätzen und Schlüssen in acht nehmen und sich durch den blossen Nahmen der Philosophie und der

der tieffen Natur-Geheimnisse nicht betriegen lasse, indem es allerdings wahr ist und bleibet, daß auch die Weltweisen viele falsche Säze haben, und haben können. Wie nun aber nicht folget, daß man sich deßwegen für der Theologie zu hüten habe, weil diejenigen, welche sich Theologos nennen, eben auch offt viele falsche Schlüsse machen, und dadurch zu Ketzern werden können; also folget auch nicht, daß man sich um der falschen Schlüsse einiger Weltweisen willen für der Welt-Weißheit an sich selbst hüten müsse.

Manet itaque, ut antea monui, philosophiæ, se intra suos limites continenti, iustus honor, debita veneratio. Ast, cum a primordiis ecclesiæ Christianæ pseudo-Philosophi in puriorem doctrinam invaserint, monendi omnino erant Colossenses, ne seductoribus obtemperarent: Monendi etiamnum sunt homines Christiani, ne quævis, specie philosophiæ commendata, statim admittant: Παντα δοκιμαζετε, το καλον κατεχετε, *1. Thess. V*, 21.

§. XIII.

Præter hos & alii ψευδοδιδασκαλοι ecclesiæ Colossensi turbas minabantur, quorum impetum Apostolus reprimere studet. cap. III, 18. sequ. Sicuti malignus spiritus ex hac parte per Gnosticos evangelicæ veritati nocere, sic & mores Christianorum optimos corrumpere, ex illa parte studebat. Scilicet, alia Gnosticorum familia, in diem vivens, Christianam libertatem in licentiam vitiosam commutabat, omnibusque vitiis temere indulgebat. v. CLEMENS *Alexandr.* L. III. strom. c. 5. Alia severam tristemque vitam agens, humilitatem morumque austeritatem simulabat, & affectata pietatis specie hominum oculos animosque in se convertebat, Εχοντες μορφωσιν ευσεβειας, την δε δυναμιν αυτης ηρνημενοι 2. Tim. III. 5. Maxime præ se ferebat singularem ταπεινοφροσυνην, qua plurimi fere hæretici olim fastum suum palliabant. Hortatur itaque Apostolus Colossenses: Μηδεις υμας καταβραβευετω θελων εν ΤΑΠΕΙΝΟΦΡΟΣΥΝΗΙ. Detegit simul fastum & superbiam in horum

De morosis morum doctoribus, inter Gnosticos.

animis latentem; φυσιϐμενὸς ὑπὸ τϐ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτϐ Col. II, 18. Negligebant corporis curam, deque continentia in cibo & potu capiendo severe dictitabant, ciborum discrimina tam ad legum Mosaicarum, quam ad Pythagoræarum rigorem imperabant, Μὴ ἅψῃ (nescio quid SAL. VAN TILL somniaverit de hac voce, dum ad matrimonii usum ea respici existimat. Provocat equidem ad 1. Cor. VII, 1. sed secum non reputavit, ibi solam vocem ἅπτειν non legi, sed phrasin, μὴ ἅπτειν γυναικὸς. conf. LAMB. BOS, *exercit. philol. p. 207*) μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς Col. II, 21. Verendum omnino erat, probis moribus ne hic austeritatis color imponeret: Mobile enim vulgus ad quamlibet externam morum severitatem stupet, nihilque doli subesse credens, nubem pro Iunone ambabus amplectitur. Reputa tecum summam, qua *Stylitarum* inepta disciplina religioque fuit olim suscepta, venerationem. In arborum cacumina summa convolabant ascetæ, columnas excelsas ascendebant, ibique ab omni strepitu securi, meditationibus sacris precibusque perpetuis se vacare aiebant; præterea subinde indulgebant inauditæ exercitationi, dies noctesque stabant, manus ad cœlum extensas multos annos servabant, nunquam eas retrahentes: & quæ reliquæ fuere Stylitarum ineptiæ. Talis erat *Simeon* Stylita, *Josue* Stylita, *Lucas* Stylita, *Daniel* Stylita, aliique in Græcorum Menæis celebrati, v. ASSEMANNI *bibl. orient. Tom. I.* p. 261-240. sequ. & venerabil. DN. D. VRB. GOD. SIBERI facundissimi eruditissimique apud Lipsienses sacrorum Antistitis, *dissert. de sanctis Columnaribus.* (an. 1714. Lips.) Cogita veterum *Anachoretarum*, *Eremitarum*, cæterorumque *Ascetarum* cohortes, multa superstitione cultas. In primis *Eustathianos* ἀσκητὰς, qui in Concilio Gangrensi & accusati & damnati, quod διὰ νομιζομένην ἄσκησιν περιβολαίῳ ὡς ἂν ἐκ τϐτϐ δικαιοσύνην ἔχοντες, usi fuerint. v. *Concil. Gangrens. can. 12. edit. Gundl.* p. 85. Memento *Salorum* propter Christum, hominum væsaniam stultitiamque simulantium, christianamque simplicitatem menti-

De Stylitis, Salis, Ascetis, &c. primitivæ ecclesiæ Christianæ

mentientium, e. gr. *Thomæ Sali* apud Evagrium L. IV, c. 35. *Theodori Sali* in Menæis Græc. d. 25. febr. & *Paulli Sali* l. c. d. 6. nov. Sed de his magiſtri hiſtoriarum eccleſiaſticarum præcipiunt, ad quos ablegamus lectores harum rerum cupidos; ubi & de *flagellantibus* audient, quorum rabiem Eſaviticam carnificinam merito vocavit doctor Sorbonicus, BOILEAVIVS, refragantibus licet multis priſcarum ineptiarum fautoribus, inprimis THIERSIO & MAIMBVRGIO. Eſt enim hæc morum auſteritas, opinione meriti affectata, a Deo neque mandata, neque unquam comprobata, divinis autem legibus atque inſtitutis contraria. Eſt planta, quam cœleſtis pater non plantavit, Matth. XV. 13. Eſt εθελοθρησκεια και ταπεινοφροσυνη Coloſſenſibus ab Apoſtolo ſevere interdicta. Col. II, 23. Eſt διδασκαλια ανθρωπων, Matth. XV, 19. Eſt actio vana, quæ & divina inſtitutione & divina promiſſione caret. Eſt vitæ ratio, ab ipſo IGNATIO LOIOLA reiecta. *Ignatius eos non laudabat, qui dulcedine ſolitudinis & divinæ familiaritatis illecti, in arenam deſcendere, ſua primum otia evellere, deinde etiam proximos adiuvare negligerent: quin immo pluribus doctus experimentis aiebat, quo minus in eo genere ſibi temperant, eorum pleroſque, niſi periti cuiusdam ductum ſequantur, vel præcipuo Dei fulciantur auxilio, partim dæmonum illuſionibus obnoxios eſſe, partim etiam contumaces ac ſibi placentes.* vid. MAFEI L. 3. 2. Homo enim non ſibi ſoli ſed & aliis, natus eſt: ut in negotio, non in otio, vitam conſumat.

De εθελοθρησκεια.

Vanus quoque eſt rigor, quem tot in *ſtatu perfectionis* (ſcil. ex opinione Romanæ eccleſiæ) degentes tenent in veſtitu, qua de perfectione in veſtibus quæſita, audiamus ipſum SERARIVM promte confitentem: *Nulla veſtium antiquitas & humilitas, nulla panis & potionis egeſtas, nulla rerum omnium inopia & vilitas Chriſto nos commendabit, etiamſi religioſiſſimi, humillimi, pauperrimi, coram hominum oculis videremur.* v. ad

Ioſ.

Iof. IX. quæft. XXII. pag. 219. Sed quid immoramur liti, de de qua inter ipfos illos nondum convenit: Regularis enim fæculari, ordo ordini invidet, vitia obiicit, perfectionis fanctitatisque gradum negat.

§. XIV.

De prohibito angelorum cultu.

Quæritur, fuerintne etiam ævo Apoftolico, qui Angelorum cultum Coloffenfibus perfuadere ftuduerint? Paullus hoc innuere videtur, dum Coloffenfes monet, ne fe ab illis, qui θρησκειαν των αγγελων iactabant, feduci paterentur. Col. II, 81. SALOMO VAN TILL exiftimat, Gnofticos Aeonas f. emanationes credidiffe, quas *Angelos* interpretabantur, & inter quas fummum Numen imperium orbis diftribuiffet. v. *Ifagoge ad quat. Paulli epift.* pag. 366. TILLEMONTIVS perhibet, hæreticos quosdam docuiffe olim, homini ad fummam Deitatem per IESVM accedere non licere, fed per Angelos, ceu mediatores ab homine usque adeo non diftantes: Vel Platonicos, vel Simonianos, vel denique Semi-iudaizantes vocandos hos impoftores, iudicat idem. v. *memoir de l' hift. eccleſ. Tom. I.* p. 308. Præeuntes habuit TILLEMONTIVS fummos noftræ ecclefiæ doctores, quos ab excellentiffimo labore fuo *Centuriatores* vocare folemus, quippe qui *Centur. I. Libr. 2. cap. 5.* p. 374. Pfeudapoftolos quosdam docuiffe Coloffenfes, filium Dei non effe falutis noftræ auctorem, fed per Angelos viam patere ad Patrem, perhibuerunt. Mallem ego Cerinthianos intelligere, de quibus b. ITTIGIVS e locis patrum fide digniffimis obfervavit, quod non folum de angelicis revelationibus gloriati, fed & mundum ab angelica quadam poteftate conditum, legemque ab angelis datam afferere foliti fuerint. v. *differt, de hærefiarch. ævi Apoftol.* p. m. 59. Facillimum itaque fuit, ut iidem, quæ THEODORETI opinio eft, angelorum cultum religiofum docerent, fub fpecie, DEVM ipfum nec attingi nec comprehendi poffe, fed per angelos divinam bene-

benevolentiam conciliandam homini esse. Audiamus S. AVGVSTINVM epist. 149. S. Paullinum Nolanum de hac quæstione ita instituentem: *Addidit autem &* CVLTVRAM ANGELORVM, *vel sicut vestri codices habent*, RELIGIONEM ANGELORVM, *quæ græce* θρησκεια *dicitur, angelos volens intelligi principatus, quos elementorum mundi huius præpositos, in his observationibus colendos arbitrantur.* conf. S. PAVLLINI NOLANI *opera p. 308. edit. Muratov. recent.* Nec dissimulamus GARNERIVM multa verisimilitudine affirmasse, Cerinthianos post Paulli obitum, in Phrygia (ad quam Colossenses referendi) multos adseclas habuisse: sed quæ de *oratoriis S. Michäelis*, in Phrygia passim obviis ætate Theodoreti, narrat, ac si fuerint loca, ubi Cerinthiani quondam suas synaxes habuerint, doctioribus iudicandum damus. Etiamnum apud Iudæos hunc angelorum cultum obtinere, docte confirmavit IO. SAVBERTVS in duabus dissertationibus *de adoratione angelorum ex Iudæorum mente;* quæ *Palæstræ theologico-philologicæ* p. 31. *sequ.* insertæ leguntur. De PLATONE constat, quod Deum cum homine versari negaverit, sed, quicquid commercii & colloquii Deos inter ac homines est, id omne peragi per dæmonia. Θεος ανθρωπῳ ȣ μιγνυται, αλλα δια δαιμονων πασα εστιν η ομιλια και η διαλεκτος Θεȣ προς ανθρωπȣς. Atque sic locum habere posset TILLEMONTII coniectura. Habebis autem in hac hæreticorum perversa doctrina, præludia fabulæ in Romana ecclesia contextæ de angelis mediatoribus, uni nostro mediatori IESV adsociatis. 1. Tim. II, 5. Vtut enim GARNERIVS in *auctario operum Theodoreti* p. 490. venerationem in Romana Ecclesia angelis exhibitam descripserit ita, ut a Paullino interdicto videretur excipienda, nostri tamen Theologi satis abundeque docuerunt, frustra & Garnerium & fidei suæ socios in palliando errore, nimis aperto, hactenus laborasse. vid. ITTIGIVS l. c. p. m. 60. Cæterum qui nosse cupit, quid Platonici & Pythagorici angelis tribuerint; cur

Oratoria S. Michäelis in Phrygia.

Cultus angelorum in pontificia ecclesia.

Iudæi angelis in dirigendis huius mundi rebus multa adſcripſerint; quomodo Eſſeni Angelorum cultui indulſerint; Simoniani Gnoſticique cur angelos crediderint mediatores Deum inter & homines; adeat venerandi b. WOLFII *curas philol. N. T.* tom. III. p. 328. ubi ſingula uberius confirmata leguntur. Quod ſi partes eruditiſſimi huius viri ſequeremur, longa hac inquirendi opera omni ſuperſedere potuiſſemus. Paulli enim verba, θρησκεια των αγγελων vertit doctiſſimus WOLFIVS in *cultum angelicum*, h. e. talem cultum & habitum, qui angelorum ſanctitatem mentitur. Voluiſſent nempe Pſeudo-apoſtoli talem, præ ſe ferre animi humilitatem, quam in angelis conſpicuam agnoſcunt chriſtiani.

§. XV.

De Cataphrygum ſ. Montaniſtarum hæreſi.

Sæculo poſt Chriſtum natum ſecundo, Phrygia a portentoſa *Montaniſtarum* hæreſi multum vexabatur, quippe quæ Phrygiæ ortum ſuum progreſſumque debebat, indeque *Cataphrygum* nomen conſequebatur, nec non *Pepuzianorum*, ab oppido Phrygiæ, Pepuza, quam Montaniſtæ Hieroſolymam ſuam vocitabant v. EPIPHANIVS hæreſ. 48. ſect. 14. Niſi me omnia fallunt, S. Paullus divino ſpiritu actus, peſtem hanc Phrygiam prævidit, Coloſſenſibusque tanta verborum vi imperavit, ab hac ut ſibi aliquando caverent. Accipias quæſo, quæ de Montani diſciplina rigidiori ſcriptores tradidere, eaque ad Paulli verba, quæ cap. II, 18, 23. obviant, referas, facile intelliges, me a ſcopo vel omnino non, vel leviter ſaltem aberraſſe. *Nulla graviori peccato apud eum venia, nullus ſecundis nuptiis locus, nullum corporis culturæ pretium, nullus abſtinentiæ modus*, inquit Reverend. Abbas, D. MOSHEMIVS *inſtit. hiſt. Eccleſ. antiq.* p. 200. Hæc ſi quis veterum teſtimoniis confirmata cupiat, evolvat TILLEMONTIVM, qui peculiari capite de his Cataphrygum erroribus ex antiquis monumentis diſputat, *memoir de l'hiſt. eccl. tom. II.* p. 472. & b. ITTIGIVM in *diſſert. de hæreſiarchis ævi apoſtolici.* Sect.

II.

II. c. 13. p. m. 197. seqq. add. EVSEBIVS L. V. *hist. eccl.* c. 14. 15. AVGVSTINVS *de haeresib.* p. m. 69. EPIPHANIVS haeres. 48. ITTIGIVS *in historia ecclesiastica Saeculi II. Cap. 7. §. 34. p.* 332. CENTVRIATORES MAGDEB. *Centur. II. cap. 5. p.* 77. APOLLONIO, acerrimo Montanistarum hosti, audit Montanus apud EVSEBIVM L. V. *hist. eccl.* c. 18, ο διδαξας λυσεις γαμων, nuptiarum solutiones docens, virginitatemque ultra modum collaudans: porro, ο νηϛειας νομοθετησας, qui severas ieiuniorum leges praescripsit. Atque hi ipsi errores a S. Paullo, in nostra epistola, gravissime confutantur, quia ab ipso, tanquam θεοπνευϛω fuerant praevisi. Nec vanus fuit Apostoli metus, siquidem post huius obitum omnem Phrygiam scatuisse his impostoribus, sacrae historiae abunde testantur: nec potuerunt gangraenae isti mederi aliter episcopi orthodoxi, quam in concilio, quod habuerunt *Hierapoli* praeeunte S. Apollinario, Episcopo Hierapolitano, de cuius vita & scriptis sect. I. §. 20. p. 35. nuper egimus. Nostrae Colossae fuerintne Cataphrygum rabiei expositae, ignoramus, eo quod latet, an post horrendum terrae motum, quo sub Nerone concussae, restauratae fuerint sub M. Aurelio imperatore.

Tu autem, aeterne DEVS, serva tuam ecclesiam ab omni peste, in tenebris grassante! Ne prisci errores in orbem redeant, pro tua in nos misericordia prohibe! Si qui iam redierunt, eos reprime! ut inconcussa semper stet VERITAS TVA!

CLA-

CLARISSIMO ATQVE NOBILISSIMO
DOMINO
RESPONDENTI SVO
S. P. D.

PRAESES.

TVO igitur exemplo, DOCTISSIME AMICE, MEZIBRODSZKY, gloriam umbram virtutis esse, abunde confirmas. Præeunte quidem divino nostro Magistro, spernere mobilem vulgi auram didicisti: Sed fugientem TE ubique sequitur vera gloria atque existimatio vera. Collige vasa, nostræque Leucoreæ valedicens in dulcissimam patriam redi: certam hanc, mihi crede, habebis itineris comitem, nec facile a TE recessuram, gloriam. Lætabunda TE excipiet HVNGARIA, dignissimum civem suum, quemadmodum & Vitemberga, incluta LVTHERI sedes, TE adamavit, satisque numerosæ *Bibliothecæ*, quam a conditore suo HVNGARICAM vocamus, præfectum vigilemque custodem esse adhuc voluit. Agedum, quo coepisti tramite perge, & Ecclesiæ medios inter hostes gementi, quoad fieri poterit, TVA & pietate & eruditione fac sis ornamento præsidioque. Ego vero, TVI quoties recordabor, ex animo divinum Numen precibus fatigabo, velit TE TVAMQVE patriam, mihi tantopere caram, servare incolumem, omnique felicitatis genere beare, atque promeritis TE honoribus quam proxime condecorare. Vale in IESV, Domino & Magistro nostro, iterumque vale!

Scrib. in Academia Vitembergensi

A. R. S. cIↃ IↃ CC XL. Dom. V. Epiph.

INTRODVCTIONIS IN LECTIONEM EPISTOLAE S. PAVLLI APOSTOLI AD COLOSSENSES

SECTIO III.

QVAM
PRAESIDE

D. CAROLO GOTTLOB HOFMANNO

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE
AED. MARIAN. PASTORE ET TOT. CIRC.
SAXON. ELECTORAL. SVPERINTEND.
GENERALI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

D. XXV. MAII A. R. S. CIↃ IↃ CC XLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

M. CHRISTOPHORVS BAVER

SCHNEEBERGENSIS
S. S. THEOL. CVLTOR ET ALVMN. REG.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

CONSPECTVS

DISSERTATIONIS

§. I.

Nexus dicendorum cum Sect. II. antecedenti oſtenditur, atque

§. II.

Difficultate hæreſeologiæ Sæculi I. allegata, quadruplex Epiſtolæ Paulli ad Coloſſenſes ſcopus ſpecialis affertur,

§. III.

Scopus epiſtolæ ſpecialis quintus ſubiungitur, addita expoſitione loci difficillimi Col. I. 15. cum quinque argumentis pro divinitate IESV ab Apoſtolo ipſo allatis, &

§. IV.

Lampii ſententia, qua, Sæculo I. extitiſſe hæreticos divinitatem Chriſti impugnantes, negavit, ex inſtituto confutatur. Poſthæc

V.

§. V.

Integritas huius epiſtolæ tribus argumentis confirmatur, &

VI.

Locus, quem in volumine atque ordine epiſtolarum Paullinarum tenent literæ ad Coloſſenſes, determinatur.

§. VII.

Argumentoque Epiſtolæ indicato,

§. VIII.

Partitio epiſtolæ ad Coloſſenſes proponitur,

§. IX.

Cum analyſi epiſtolæ generaliori.

F I N I S.

INTRODVCTIONIS
IN LECTIONEM EPISTOLAE S. PAVLLI AD COLOSSENSES
SECTIO III.

§. I.

Plures una unius epistolæ dari caussas, & eas haud raro diversissimas, cum nemo facile sit, qui dubitet, tanto confidentius de litteris, quas *S. Paullus* ad Colossenses dedit, affirmamus, quippe in quibus ad plures diversosque scopos orationem Apostoli tendere, clarissime patet. Nuper, cum de scopo huius epistolæ dissereremus, S. Paullo Colossensium in vera religione atque doctrina cœlesti confirmationem curæ cordique fuisse ex Cap. II. 2. & cap. IV. 8. abun-

Nexus dicendorum cum Sect. II. anteced.

conf. Sect. II. §. 10.

de docebamus; insuper addebamus brevem errorum, a quibus mala quævis Colossensibus metuebat apostolus, indicem, additis haereticorum a S. Paullo maxime reprehensorum nominibus. Quam telam ut reassumamus, atque pro viribus continuemus propositi nostri ratio postulat, ut vel tandem, ad quæ verba locaque epistolæ Paullinæ ad Colossenses in primis attendere debeat futurus harum literarum interpres, constet.

§. II.

Difficultates hæresεologiæ Sæculi I.

Est omnino, quod lubenter fateor, opus periculosæ aleæ plenum, primorum temporum doctores hæreticos horumque figmenta recensere iusto ordine. Quotquot historiam, quam vulgo dicimus ecclesiasticam, literarum monumentis prodidere, in hanc arenam descenderunt quidem, sed dubio admodum in ea decertarunt Marte, ut cui pollicem premere fas sit vel nefas, ancipites hæreant spectatores non minus, quam Agonothetæ ipsi. (*) Qui data opera seductricis doctrinæ familias descripsere, plura promittentes, vel partium studio

(*) THOM. ITTIGIVS. cui potissimum in rebus ad sacram historiam N. T. pertinentibus credimus, hoc sua ætate tulit iudicium: *Etsi vero plures in evolvenda veterum hæresium historia occupati fuerint, opus tamen accuratum de hæreticis, præcipue antiquis, adhuc desiderari, viri quidam doctissimi observant.* v. præf. ad diss. de hæresiarch. ævi apostol. p. 31. Ipse b. ITTIGIVS luculentam de hæresiarchis ævi Apostolici & Apostolico proximi dissertationem condidit, sed, si Venerab. Dn. D. IO. LAVR. MOSHEMIO credimus, *nullo iudicio adhibito*, siquidem in ea materiam potius congestam videamus, ex qua Historia hæresium a viro sagaci & rerum veterum perito componi potest, quam iustam & accuratam historiam conscriptam. v. *institut. histor. Christian. maior. Sæc. I. p.* 322. Hanc censuram manes b. ITTIGII, viri, dum viveret, singularis modestiæ & humilitatis laude clarissimi, tanto moderatius ferent, quo candidior ipse in citata præfatione fassus est, se, quæ ad illustrandam hæresiarcharum ævi apostolici & apostolico proximi historiam facere poterant, in hac qualicunque dissertatiuncula COLLEGISSE tantum; immo vero suis viribus theologus modestissimus adeo diffidebat, ut historiam hæresium a sua tenuitate expectari non posse, fateretur, concedens tantæ molis opus viris sese peritioribus atque sagacioribus.

ſtudio abrepti, vel ſubſidiis maxime neceſſariis deſtituti, vel monumentorum temporum lapſu perditorum penuria impediti, pollicitis ſtare non potuerunt; quod eſt indicio, inique in ius rapi, quos calamo paſſim titubante primorum temporum hæreſes recenſere ſcimus. Cuius moniti memores non mirabuntur, ſi quando nos in nominandis haereticis ab aliis viris doctiſſimis diſſenſiſſe nuper, vel etiam in hac noſtra ſcriptione diſſentire, animadvertent. Non ſumus neſcii, ſectas primo ſæculo eccleſiam turbantes in *literatas* atque *illiteratas* diſpeſci poſſe, ſed, quia primos Chriſtianæ religionis alumnos partem ex Iudaiſmo, partem ex Paganiſmo ad CHRISTI caſtra tranſiiſſe intelligimus, ſatius ducimus, in has duas catervas dividere haereticorum agmina, ſiquidem, quodlibet horum ex avita ſua ſuperſtitione, nunc hoc, nunc illud, retinendum putabat. Hinc de ſemi-iudaizantibus referebamus nuper, eos in epiſtola ad Coloſſenſes cap. II. & III. a S. Paullo maxime peti, ideo, quod Iudaiſmum cum Chriſtianorum ſacris miſcere, remque ſua umbra adunire ſtudebant. Ad hos referebamus, HIERONYMO atque EPIPHANIO praeeuntibus Cerinthianos atque Ebionitas, quorum familia utraque, in evincenda legis Moſaicae obſervatione æterna, tanquam Chriſtianis maxime neceſſaria, occupabatur. Cuius aſſerti me nequaquam poenitet, quicquid etiam SAM. BASNAGIVS in annal. polit. eccleſ. ad A. C. 50. §. 19. p. 600. PETRVS FAYDITVS in tractatu, *eclairciſſemens ſur la doctrine & ſur l' hiſtoire eccleſiaſt. des deux premiers ſiecles cap. V. p. 64.* FRID. ADOLPH. LAMPIVS *in comment. ad Ioan. Tom. I. p. 181.* ut, Cerinthianos Paulli ætate nondum extitiſſe, evincerent, nuper diſputaverint. Sunt enim argumenta, quibus hoc ivere aſſertum, ita comparata, ut facile confutari queant, immo vero iam abunde confutata ſint a viris celeberrimis IO. FRANC. BVDDEO *de ſtatu eccleſiæ apoſtol.* cap. V. p. 412. ſeq. GEORG. LVD. OEDERO *de ſcopo evangel.*

l. c. §. XI.

Scopus Epiſt. ſpecialis primus.

 Ioan.

Ioan. p. 29. seqq. & venerabil. Dn. D. IO. LAVR. MOSHEMIO *in instit. histor. Christ. maiorib.* Sæc. I. p. 440. qui postremus, dum non sine veri specie monet l. c. p. 453. Cerinthum απο μερυς legem Mosaicam tantummodo retinendam iussisse, concedit tamen, circumcisionis necessitatem Col. II. 11. sq. a Paullo reiectam, a Cerintho omni nisu affirmatam fuisse: unde patet, me Cerinthianos ad semi-iudaizantium turbam, ab Apostolo in epistola ad Colossenses atro carbone notatam, non male retulisse. De *Ebionæis* vero, dubium est nullum, eos eundem errorem errasse cum Cerinthianis, licet LAMPIVS l. c. p. 194. de horum ætate idem, quod de Cerinthianorum, existimaverit, cui a BVDDEO l. c. p. 523. seq. satisfactum est.

Scopus epist. specialis secundus.

Erant alii errores, a quibus ut sibi Colossenses caverent, S. Paullus graviter hortabatur, scilicet, philosophiæ, Cabbalæ, nec non Γνωσεως nomine specioso iactitati, novisque in Christiano orbe civibus passim commendati ab illis, qui iam tunc Gnostici poterant vocari. Quibus nunc Cerinthum denuo adnumeramus, de quo THEODORETVS *hæret. fabul. L.* II. *cap.* 3. memoriæ prodidit, adultum in Aegyptum, ut Philosophia imbueretur, commigrasse. Itaque fieri potuit, ut, ad Gnosticorum instar, suas opiniones falsissimas splendido φιλοσοφιας titulo venderet, Apostolorum simplicitatem detestatus. Concedit S. Paullus ipse, speciem rationis præ se ferre falsos doctores, ατινα εςι λογον μεν εχοντα σοφιας. Cap. II. 23. addit autem, κενην απατην esse hanc philosophiam, qua (συλαγωγειν) prædonum more, hominum animis ceu prædæ inhiarent seductores: quæ singula in Cerinthianos quadrare, errores ab EPIPHANIO *hæres.* XXVIII. p. 110. seq. allati, satis superque docent.

Scopus specialis tertius.

Reprehendit idem Apostolus vel in iisdem, vel in aliis seductoribus externam austeritatis speciem, qua, humilitatem atque

atque continentiam singularem ipsimet affectantes, Colossensibus persuadere studebant, omnem Christianorum vitam debere tristem esse, atque cum corporis dispendio severam, ideo, quod ad normam iugi Mosaici etiamnum sit formanda. Hæc est αφειδια σωματος, vexatio corporis. *Col.* II. 23. qua Iudaizantes capiditatibus carnis fræna iniici posse per ieiunia frequentiora, squalorem, cilicium, lotiones & reliqua, obtendebant. Et hi erant iidem, qui φιλοσοφιαν seu γνωσιν ubique crepantes, austerum vitae genus præ se ferebant, deque ciborum discrimine severissime præcipiebant. *Col.* II. 16.

Seruare porro studebat S. Paullus Colossenses a grauissimo errore, qui in θρησκεια των αγγελων, quam de cultu angelorum religioso intelligendam esse putamus, longissime a vero discedebat. Ad hunc propendebant, quotquot γνωσεως laudem affectabant, in primis Cerinthiani, contra quos Apostolum aciem maxime instruxisse his in literis, satis docuimus. Cerinthiani nempe non solum angelicas visiones iactitabant, teste GAIO apud EVSEBIVM libr. III. c. 28. quas PAVLLVS alludere videtur, dum seductores (α μη εωρακεν εμβατευων) de confictis visionibus gloriatos tacite subinnuit: (*) sed & — Scopus specialis epistolæ quartus.

(*) Subinnui hæc ab Apostolo, diximus; cæterum facimus cum IO. HENR. SVICERO, probe observante, reprehendere S. PAVLLVM temerarios occultorum scrutatores, quippe qui de angelis, eorum ministerio, ordinibus, numero, nec non de visione Dei, aliisque futuro sæculo reservatis, multa loquuntur, quasi μεγαλειοτητος εποπται fuisset. Quid hi aliud quam *non visa* fingunt? v. *commentar. in epist. ad Coloss* p. 149. add. SEB. SCHMIDIVS in comment. ad epist. in Coloss. p. 175. Egregia sunt, & ex institutis philosophiæ Orientalis s. barbaricæ erudite petita, quæ SALOMO VAN TILL *in elegantissimo ad quatuor Paulli epistolas commentario* p. 366. de angelis, a Gnosticis s. Philosophis ideo cultis, ut eorum ope θαυματα operari possent, docte congessit; ad quem lectores nostros remittimus, paucis his tantum inde allatis: *Cumque Gnostici θαυματεργιαν, ut artem aliquam licitam celebrarent, Angelorum cultum introduxerunt. Ad cuius erectionem theoria requirebat* Γνωσιν, *& cognitionem, quibus rebus singuli suis nominibus designati praeessent. Praxis vero requirebat peculiares precatiuncu-*

& mundum hunc aspectabilem conditum ab Angelis, supremo numine multo inferioribus, teste TERTVLLIANO de *Praescript.* c. 48. & EPIPHANIO *haeres.* 28. p. 110. affirmabant: insimul docentes, hominem, cuius naturam vix satis extenuare poterant, cum Deo commercium habere nullum posse, nisi interveniente ministerio angelorum teste THEODORETO *ad Col.* 2. 18. *tom. III. opp.* p. 355. Inde patebit, cur Cerinthianis θρησκειαν αγγελων cum ταπεινοφροσυνη adscripserim nuper, utut hunc errorem in recensione opinionum Cerinthi, a viris eruditis adhuc confecta, frustra quaesiverim.

Sect. II. §. 14. introd. nostrae in epist. ad Coloss.

§. III.

Scopus epistolae specialis quintus.

Tandem S. PAVLLVS omni, qua potest cura & opera cavere studet, ne Colossenses in praecipuo sanctissimae religionis Christianae capite, nempe in doctrina de aeterna CHRISTI divinitate, a recto tramite deflectant, neque erroribus passim iam tunc in ecclesia sparsis circa summam CHRISTI personam, indulgeant. Quid enim sibi vult prolixa illa, de summa CHRISTI persona disputatio, quam *cap.* I. 15. & seq. habet, atque *cap.* II. 3. & seq. studiosissime inculcat, immo & custodiendam severissime praecipit. Agedum consideremus praecipua huius disputationis capita, cuius initium maiestatem atque divinam excellentiam, qua omnia Christus superat, adeo celebrat, ut PAVLLVS, sua quid efficere possit arte dicendi, videatur expertus. Os, inquit, εστιν εικων τȣ Θεȣ τȣ αορατȣ, πρωτοτοκος πασης κτισεως. *Cap.* I. 15. Meminerat PAVLLVS v. 13. filii Dei dilectissimi, eumque multo verborum pondere τον υιον της αγαπης αυτȣ, nempe τȣ Πατρος, v. 12. dixe-

Col. I. 15. quid εικων τȣ Θεȣ αορατȣ.

unculas & ritus, quibus putabant se posse tales Angelos evocare ad θαυματα cupita, & precibus implorata, ut arbitrium suum efficerent. Hactenus ille. De CERINTHO apud EVSEBIVM Libr. 3. hist. eccles. c. 28. p. m. 100. refert GAIVS τερατολογιας ως δι' αγγελων αυτω δεδειγμενας mentitum eum esse: id quod nostram coniecturam haud leviter stabilit.

dixerat, hoc eſt, filium, quem non modo Deus amore paterno intenſiſſimoque proſequitur, ſed in quo & per quem etiam ſuum erga mortales affectum tenerrimum declarat. 1. Ioh. IV. 9. (*) Hunc DEI filium ſanguine ſuo homines redemiſſe, criminumque veniam eo, ceu pretioſiſſimo λυτρῳ, his peperiſſe, docuit idem, v. 14. in eo nunc v. 15. occupatus, ut, quomodo fieri potuerit haec απολυτρωσις per ſanguinem Chriſti, & unde hunc redimendi valorem acceperit cruor eiusdem, exponat. Oſtendit itaque excellentiam, maieſtatem, quin & ſummam divinitatem CHRISTI, pro nobis ſuum ſanguinem effundentis. Ος εϛιν, inquit Apoſtolus, digito quaſi agnum Dei pro nobis mactatum demonſtrans, ος, idem ille, de cuius ſanguine hactenus locutus ſum: idem ille, nudus homo neque eſt, neque fuit, ſed (εϛιν) etiamnum eſt εικων τȣ Θεȣ τȣ αορατȣ, imago Dei, non accidentalis, uti pictura & effigies Cæſaris; non imperfecta & inadæquata, qualis eſt maritus reſpectu uxoris εικων και δοξα Θεȣ υπαρχων 1. *Cor.* XI. 7. ſed naturalis, ſubſtantialis, atque eſſentialis, quae χαρακτηρ της υποϛασεως αυτȣ dici poteſt & debet, *Ebr.* I. 3. perfectiſſima, qua creaturarum nulla dici poteſt imago patris: εν αυτῃ τῃ ȣσιᾳ το απαραλλακτον διασωζȣσα, iudice BASILIO M. L. I. *contra Eunom.* p. 28. Hic ipſe IESVS: Ο εωρακως εμε, εωρακε τον πατερα, *qui me vidit, vidit patrem* Ioh. XIV. 9. quia filius patrem adeo perfecte & pleniſſime exprimit, non in humana ſua natura viſibili, ſed in divina eaque inviſibili (τȣ αορατȣ,) ut ſit idem, qui Pater, quoad eſſentiam divinam, huiusque ομοȣσιαν. Εγω εν τῳ πατρι, pergit IESVS, και ὁ πατηρ εν εμοι εϛι, *ego*

(*) *Filium dilectionis ſuæ*, in quo omnis complacentia & dilectio Dei velut depoſita eſt, Matth. III. 17. in quo ſolo dilectione & gratia fruimur, Eph. I. 6. & in quo dilectos ſuos glorificat, Eſ. XLIII. 4. Sic ABR. CALOVIVS *in bibl. illuſtr. ad* h. l. tom. IV. p 801. melius quam THEODORETVS, emphaſin aſſecutus, qui υιον της αγαπης ſolummodo vertit, per αγαπητον υιον, τȣτεϛι, γνησιον, filium naturalem, a ſervo diſtinctum & a creatura. conf. SVICERI *theſaur. eccleſ.* tom. II. p. 1357.

ego in patre, & pater in me est v. 10. conf. SEB. SCHMIDIVS *comment. in Epist. ad Coloss.* p. 50. 51. AEGIDIVS HVNNIVS *ad h. l.* & in primis b. ABR. CALOVIVS *in bibl. illustrat.* tom. IV. p 802. qui HVGONIS GROTII versionem, satis latinam, sed minus orthodoxam, *Dei inaspecti aspectabilis imago*, optime confutavit, nam filius non minus est inaspectus, quam Pater, neque est filius patris imago, qua Homo, sed qua Deus, & quidem invisibilis. Pergit statim Apostolus in declaranda CHRISTI maiestate, dum eum πρωτοτοκον πασης κτισεως *primogenitum omnis creaturæ* nominat: id quod nomen inique, ab Arianis & Photinianis in suas partes raptum, variis modis, pro ingeniorum varietate exponitur pariter & vindicatur. Ego vero, qui brevitatis studiosus, non tam, quid alii senserint, sed, quid sentire debuerint, circumspicio, illas diversas diversorum sententias, ab æterno illo Hamburgensium decore, b. IO. CHRIST. WOLFIO in *cur. philol. ad N. T. tom.* III. p. 285. & ab aliis sententiarum multarum collectoribus, passim conquisitas, non repetam, sed, quæ mea sit sententia, candide proferam, iustisque confirmabo argumentis. Πρωτοτοκος respondet ebræo, בְּכוֹר de quo STOCKIVS in *clave linguæ sanct.* p. 134. non male annotat, *quicquid in unaquaque re primum est, & alia prævertit*, eo significari: rectius autem dixisset, πρωτοτοκον excellentiam, eminentiam, superioritatem, & dominatum indicare. (*) Accipitur enim in S. scriptura vel

Col. I. 15. πρωτοτοκος πασης κτισεως.

Etymologia vocis πρωτοτοκȣ.

Homonymia vocis.

(*) Sic enim occurrimus dubio, quod magnus quondam noster ABR. CALOVIVS contra HVGONEM GROTIVM ad h. l. movit: *Aliena est hic collatio vocis* בכור *quod primogenitus dicatur id, quod primum, & quod summum est in quoque genere. Nam non est primus aut summus inter ea, quæ creata sunt, Filius Dei, sed est eorum creator. Creator autem & creatura differunt toto genere.* Scilicet, GROTIVS subdole addiderat, *summum in suo genere*, ut Christum in creatarum rerum numerum referre videretur Paullus: nos vero asserimus, ebræum בכור in genere omnem superioritatem, eminentiam, consequenter & diffe-

vel *proprie*, pro eo, qui primogenitus, primo loco natus, ut ſanctiſſimus noſter SOSPITATOR ſuo iure appellatur πρωτοτοκος Mariæ virginis, Matth. I. 25. Luc. II, 7. vel *improprie*, pro eo, qui aliis excellentior, eximior, potentior, aliorumque futurus dominus eſt. Sic noſter Soſpitator a Davide, titulo *primogeniti regum terræ* condecoratur, Pſ. LXXXIX, 28, Pſalm. 89, 28. quod idem ſonat ac *Rex regum*, *Dominus dominorum* I. Tim. VI. 15. Apoc. XVII. 14. cap. XIX. 16. (*) Et Bildadus, id, quod atrociſſimo mortis genere maius & infelicius eſt, deſcribens, בְּכוֹר מָוֶת, primogenitum mortis vocat, Hiob. Hiob. 18, 13. XVIII. 13. (**) quæ non tam eſt *mors violenta*, *terribilis*, *inter mortis ſpecies prima*, & *maxime metuenda*, iudice CAMP. VITRINGA comment. in Eſaiam tom. I. p. 454. quam potius Eſa. 14, 30. id,

differentiam ſummam, indicare, Chriſtumque nobis creatorem ſiſtere & dominum rerum omnium a Deo productarum: id quod ſequentia & confirmabunt, & ab obiectionibus vindicabunt.

(*) Pſalm. LXXXIX. 28. qui locus Hieropſaltis ſententiam noſtram egregie confirmat. Etenim in proxime antecedenti στιχῳ de æterna filii Dei generatione ſermo erat: הוּא יִקְרָאֵנִי אָבִי אָתָּה *ille vocabit me: Pater meus Tu es.* Nunc pater hic cœleſtis de ſuo filio loquens, eum *primogenitum* vocat; quidque hoc nomine intellectum cupiat, & quare eum eodem compellet, confeſtim indicat: עֶלְיוֹן לְמַלְכֵי־אָרֶץ, altum, *NB. excelſum* regibus terræ, h. e. quem ipſi reges, ceu dominum ſuum & principem, colent atque venerabuntur. Vides itaque, בְּכוֹר *primogenitum*, per ſubſequens עֶלְיוֹן *excelſum*, *ſuperiorem*, explicari. Num ideo ſequitur, Chriſtum ad reges terræ pertinere, quia primogenitus regum terræ vocatur? Neutiquam, ſed quia omnibus regibus excellentior, eminentior. Ergo, בְּכוֹר, non ſemper, etſi ſubinde, ſignificat eum, qui in ſuo genere tantum, ſed &, qui in omni excellentiam primumque locum tenet.

(**) Ego quidem verba Bildadi ſic verto: *comedet ramos eius* בְּכוֹר מָוֶת, *dominus ſ. princeps mortis*, qui potentior, excelſior eſt ipſa morte. Quod ſi itaque concederem, de atrociſſimo mortis genere loqui Bildadum, tamen monerem ſimul, Bildadum uti phraſi maxime emphatica, quæ cruciatum & tortorem, morte crudeliorem, morte ferociorem, denotat, ut atrocitatem mortis exprimat per metaphoram. Optime mecum conſentit b. MART. LVTHERVS, in ſua verſione: Und ſeine Stärcke wird verzehren der Fürſt des Todtes; cuius auctoritatem CALOVIO hac in re opponimus, ſi auctoritate pugnandum.

id, quod morte funestius, crudelius, potentius est. Rectius VITRINGA Esa. XIV. 30. explicat, dum per בְּכוֹרֵי דַלִּים, *primogenitos tenuium* intelligit tenuissimos, qui inter pauperes & egenos primi censeri poterant. Consimili ratione

Rom. 8, 29. πρωτοτοκος Rom. VIII. 29. obviat, ubi S. PAVLLVS fideles συμμορφους της εικονος Christi, cum in passione, tum in glorificatione fieri, εις το ειναι αυτον ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΝ εν πολλοις αδελφοις (*) asserit: in cuius loci expositione, quocunque etiam sese vertant interpretes, eminentiam tamen & prærogativam, nec non primatum voce πρωτοτοκου innui, nullo modo negare poterunt. Quemadmodum & Col. I. 18. Christus πρωτοτοκος εκ των νεκρων dicitur, (**) non ratione ordinis, sed

Etymologicæ atque primariæ significationis caussa & origo.

dignitatis & eminentiæ, immo vero etiam caussalitatis. Est itaque hæc nativa, primaria, & Etymologica vocis πρωτοτοκου significatio, quam ex iure primogenituræ olim passim obtinentis, rectissime derivamus. *Primogenitus patris*, de quo apud S. Paullum sermo est, (non item *matris*, qui singulari ratione Deo sacer, redimi quinque siclis debebat, *Num.* XVIII. 16.) non solum in hæreditate geminam portionem accipiebat, *Deut.* XXI. 17. sed & in cultu Dei publico tenebat primum locum, & in tota familia præcipua auctoritate gaudebat. vid. IKENII *antiquit. Hebraic. Part.* III. c. 2. §. 28. p. 521. Adde his,

Nostra senten-

quæ S. Paullus Gal. IV. 1. 2. huc pertinentia attulit. (***) Hunc significa-

(*) Optime hunc locum Celeberrimus CHRIST. STOCKIVS *in notis ad N. T.* exposuit, monendo, Christum dici πρωτοτοκον εν πολλοις αδελφοις, inter fideles, tanquam cohæredes gloriæ, ita tamen, ut tanquam caput ac primogenitus primatum & prærogativam in gradibus passionum & gloriæ præ cæteris fratribus teneat, quia ipse est Filius Dei *naturalis*, fideles autem filii *adoptivi*.

(**) Conf. SVICERVS in thesaur. eccles. tom. II. p. 881. 882.

(***) Loquitur S. PAVLLVS *Gal.* IV. 1 de κληρονομω, eumque conceptis verbis KYRION παντων, nempe futurum hæreditatis paternæ dominum, appellat, siquidem talis etiam est. Observasse ideo iuvabit, rectissime in scriptis N. T.

significatum in nostro quoque oraculo S. Paulli obtinere, nostroque Servatori Πρωτοτοκου πασης κτισεως titulum a S. Paullo tribui, ideo, quod omni creatura excellentior, eminentior, eiusdem dominus, creator & princeps sit, confirmamus 1) ex ipsius vocis significatione etymologica, hactenus a nobis exposita & ab ipso Paullo v. 18. allata, Ινα γενηται ΕΝ ΠΑΣΙΝ αυτος ΠΡΩΤΕΥΩΝ, *ut in omnibus primatum obtineat*, seque omnibus maiorem & eminentiorem ostendat: quam interpretandi rationem si quis respueret, is næ graviori animadversione dignus esset, quia data opera luci repugnaret nexumque verborum negligeret. 2) Studiosissime cavit Apostolus, ne Christum Πρωτοκτιστον diceret, ut ne in numerum creaturarum ab incautis referretur. Sed πρωτοτοκον (*) cuius 3) appellationis caussam in creatione rerum omnium, stupendo illo divinæ potentiæ opere, & deitatis summæ indice manifestissimo, posuit Apostolus: Οτι, ideo quod, οτι εν αυτω εκτισθη τα παντα τα εν τοις ουρανοις και τα επι της γης, &c. v. 16. quod est documento, Paullum per appellationem Πρωτοτοκου, illam, quæ Chri-

tia profertur & probatur.

Arg. 1.

Arg. 2.

Arg. 3.

N. T. hæredem s. κληρονομον significationem κυριου sustinere. Quem Paullus Ebr. I. 2. κληρονομον παντων salutat, Petrus nominat παντων κυριον. Act. X. 36.

(*) Summum hoc discrimen sua iam aetate inculcauit IO. DAMASCENVS Libr. IV. de orthod. fid. cap. 8. Εικοτως υιος μονογενης Πρωτοτοκος, ΚΑΙ ΟΥ ΠΡΩΤΟΚΤΙΣΤΟΣ λεχθησεται: *merito itaque filius unigenitus uocabitur primogenitus, non primo creatus.* Idem observavit CHRYSOSTOMVS & THEOPHYLACTVS contra Arianos: nec non AMBROSIVS Libr. I. de fid. cap. 4. *Primogenitus dicitur, non primo creatus, ut & genitus pro natura, & primus pro æternitate credatur.* De Socinianis, & GROTIO frigidam his affundenti, monuimus supra, quod Christum in numerum rerum a Deo creatarum referre conentur, eumque in finem ad vocis Πρωτοτοκου significationem prouocent, contra quos cum IO. TILLOTSONO, archiepiscopo Canterburiensi celeberrimo, *sermon. I. tom. I. p. 20.* hoc inprimis inculcamus, quod vox Πρωτοτοκος distinctionem ab omnibus entibus creatis clarissime indicet. Ita enim argumentamur: „Qui ideo „Πρωτοτοκος πασης κτισεως vocatur, quia πασαν κτισιν creavit & conserva„vit, is ab omni creatura tanquam CREATOR longissime distat. De „Christo hoc affirmat S. Paullus v. 16. Ergo.

Christo, ut creatori, competit, eminentiam præ omni creatura, adscribere voluisse, 4) non exclusa prioritate, de qua
Arg. 4. clarissimis verbis v. 17. και αυτος εςι προ παντων, και τα παντα εν αυτω συνεςηκε, quibus verbis æternitas, eaque divina, Christo adseritur, stilo biblico, ubi frequentissime aeternitas soli Deo competens per hanc formulam loquendi exprimitur. Ps. XC. 2. Esa. XLIII. 13. Prou. VIII. 25. Matth. XXV.
Arg. 5. 34. &c. Accedit 5) quod Paullus in loco maxime parallelo Ebr. I. 2. ubi ex instituto eminentiam Christi præ omni creatura, etiam præ angelis, confirmat, κληρονομον παντων Christum dicat, quem nostro in loco πρωτοτοκον salutat, qui erat hæres paternorum bonorum & quidem ob creationem, δι' ꙋ και αιωνας εποιησεν. Ebr. I. 2. (*)

Quinque argumenta, pro divinitate IESV ab Apostolo allata h. l.

Tendit itaque Paulli oratio ad celebrationem & prædicationem Divinitatis IESV CHRISTI, quam non solum gemina hac, εικονος τꙋ Θεꙋ & πρωτοτοκꙋ πασης κτισεως, appellatione indicat, sed & uberius vers. 16. sqq. ostendit 1) ex mirando creationis, per hunc factæ, opere, v. 16. siquidem certissime ex hoc commate licet concludere: Qui omnia creavit, & quidem propter seipsum creauit. (non iussu alius) is est verus atque summus DEVS. 2) ex* æternitate soli DEO propria, quam his verbis IESV adscribit: Και αυτος εςι προ παντων, qua de phrasi in sacris paginis frequentissima, videatur GLASSIVS in *philolog. sacr. L. IV. tract. I. observ. 4. p. m. 1161.* 3) Ex divina rerum omnium conservatione, και τα παντα εν αυτω συνεςηκεν, v. 17. quam Paullus Ebr. I. 3. elegantissime describit, Φερων τα παντα τω ρηματι της δυναμεως αυτꙋ, *omnia manu quasi*

(*) Censemus itaque, πρωτοτοκον & υιον κληρονομον esse synonyma, cum ipsa natura doceat, primogenitum paternorum bonorum hæredem, eorundemque futurum *dominum* haberi; quocum consentit usus sacræ Scripturæ. vid. Act. X. 36. Gal. IV. 1. 2. *Hæres idem hic est, quod Dominus seu herus, quo nomine Latini etiam haeredem appellant*, inquit WOLFIVS in cur. philol. ad N. T. tom. III. p. 601.

quasi ferens atque sustentans, manu scilicet fortissima, divina & ea potentissima. 4) Ex regimine, quod in ecclesiam suam exercet Christus, v. 18. cuius κεφαλη *caput* est: esse autem non posset, nisi divina sua gratia influeret in membra ecclesiæ, quem influxum hyperphysicum, immo vero etiam divinum, esse debere, quis est, qui neget. 5) ex opere redemtionis per Christum perfectæ, v. 20. 21. seqq. quod demum perficere non potuisset, nisi fuisset verus DEVS, verus & μεσιτης inter DEVM & homines. 2. Cor. V. 19.

§. IV.

In hac de Christi divinitate doctrina, ut confirmentur Colossenses, Apostolus his in literis omnem navat operam, Col. II. 2. 6. Ipsosque contra omnes errantium tentationes praemunire studet, dum cap. II. 9. non modo CHRISTI divinitatem denuo asserit, inque eo παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως inhabitare docet, sed & existere, qui Colossenses ab hac fidei confessione abducere & ad errores perniciosissimos perducere studeant, aperte monet. Vnde ad oculum patet, fuisse iam tum aetate S. PAVLLI, qui Colossenses per vanam seductricem philosophiam, ad negandam *Christi* divinitatem movere, & a cultu huius nostri capitis religioso avocare tentabant. Col. II. 19.

Vt miremur tanto magis, IO. ADOLPHVM LAMPIVM, confidenti admodum animo & quasi de rei veritate convictissimo, olim asseruisse, neminem ante Theodotum, a patria Byzantinum, ab artificio Coriarium vocatum, aperte Deitatem Christi negasse. v. *commentar. in Ioan. evangel. tom. I. p. 191.* Argumenta, quibus suam opinionem palliare studet, vix LAMPIO digna censemus, sunt autem tria. *Primo* loco affert testimonium auctoris antiqui apud EVSEBIVM *hist. eccles. libr. V. 28.* adserentis, Theodotum Coriarium fuisse αρχηγον και πατερα

Contra LAMPIVM asseritur extitisse Sæc. I. hostes divinitatis CHRISTI.

Arg. I. Lampii.

τεϱα της αϱνησιθεȣ αποϛασιας, id eſt, *ducem & auctorem primum defectionis Deum negantis*, eumque ob negatam Chriſti divinitatem a Victore eſſe excommunicatum. Sed, ne quid dicam de incerta incerti auctoris auctoritate, quam EVSEBIVS neque probat, neque reiicit, cui ideo nos parum tribuimus, etſi PHOTIVS in *biblioth.* codic. 48. CAIO Romano, auctorem huius fragmenti citet, repugnante tamen THEODORETO *fab. hæret.* L. II. c. 5. & NICEPHORO *Libr.* IV. c. 21. in aprico iacet fallacia, a LAMPIO, neſcio quo caſu, commiſſa. Nimirum, incertus ille auctor Theodotum Coriarium re ipſa nominat quidem τον αρχηγον και πατεϱα της αρνησιθεȣ αποϛασιας, ſed cur quæſo LAMPIVS omiſit ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ αποϛασιας, *huius ipſius abnegationis*, de qua hactenus anonymus ille locutus eſt? Nonne ideo, quod intelligebat, repetita hac ab auctore limitatione, ſuum corruere argumentum? Græca fides! Docet initium capitis XXVIII. de Artemonitarum hæreſi loqui auctorem illum: Τȣτῶν εν τινος σπȣδασματι κατα της ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ αιϱεσεως &c. *Porro, in cuiusdam ex illis auctoribus libro adverſus Artemonis haereſin &c.* Ergo Theodotus huius ab Artemonitis factæ αϱνησιθεȣ αποϛασιας auctor, hosque inter πϱωτος *primus* Chriſtum dixiſſe ψιλον ανθϱωπον, nudum hominem, ab incerto illo auctore apud EVSEBIVM vocatur. Sic inde nihil lucratur LAMPIANA opinio.

Arg. II. Lampii. *Deinde* ante Theodotum deitatem Chriſti in dubium vocatam non eſſe, vel ex eo patere, LAMPIVS exiſtimat, quia nulli ante eum defenſores eius in eccleſia fuere; in quam rem egregium eſſe aliud CAII apud eundem EVSEBIVM *Libr.* V. 28. teſtimonium, in quo præter & ultra IRAENAEI & MELITONIS pro deitate Chriſti ſcripta, allegari nulla potuiſſe, opinatur idem: *Nam ſi innotuiſſent, hac occaſione ea* CAIVS *non reticuiſſet. Cur vero Deitas Chriſti non defenſa eſt, niſi quia hacte-*

hactenus nemo directe contra eam pugnavit? vid. p. 191. Varia in his παρoραματα obſervo, paucis indicanda. Miror nempe, LAMPIVM teſtimonium, ab EVSEBIO allatum, vocaſſe aliud CAII, cum tamen eiusdem ſit incerti autoris, cuius ſupra citaverat verba, ut prona ſit coniectura, virum doctiſſimum EVSEBIVM ipſum hac in diſputatione non inſpexiſſe, ſed ab alio fuiſſe hanc in opinionem adductum. Porro, quo iure LAMPIVS, ex huius incerti autoris verbis, nulla ante Irenæum & Melitonem pro deitate Chriſti ſcripta extitiſſe, concludat, ego quidem non intelligo. Ipſe enim anonymus addit, præter *Iuſtinum*, *Miltiadem*, *Tatianum*, *Clementem* ΕΤΕΡΟΥΣ ΠΛΕΙΟΝΑΣ *alios quam plurimos* ſcripta edidiſſe, εν οις απασι θεολογειται ο χριστος, *in quorum omnium libris Chriſti deitas adſtruitur*: ergo Irenæus & Melito neque primi neque ſoli fuerunt, qui pro divinitate Chriſti adſerenda pugnarunt. Immo vero, quod tamen non concedo, ſi incertus ille auctor quoque alios, præter Irenæum & Melitonem non allegaſſet, inde non ſequeretur, nullos quoque præter hos olim extitiſſe deitatis Chriſti aſſertores, ſed plures auctori huic non innotuiſſe. Conſtat enim inter omnes, ſcripta, primo, poſt Chriſtum natum, ſæculo exarata, paucis admodum innotuiſſe olim, indeque pauciora ad nos perveniſſe. (*)

Tandem LAMPIVS, ſicut apologias pro deitate Chriſti in prima ætate, Apoſtolicam excipiente, defuiſſe putat, ita ne nominatam quidem eſſe deitatem Chriſti negantium hæreſin in Epiſtolis Apoſtolicis, Apocalypſi, & POLYCARPI literis, affirmare non dubitat. Sed ſumit ſibi vir doctiſſimus, quod

Arg. III. Lampii.

(*) Multæ huius penuriæ allegari poſſunt cauſſæ. Scripta primorum doctorum eccleſiæ non divulgabantur, niſi clam multaque cum circumſpectione, ob diriſſimas perſecutorum minas. Rarius exempla deſcribebantur, & ſi quæ deſcripta proſtabant, magno vendebantur pretio. Pagani exempla horum ſcriptorum cupidiſſime conquirebant, poſtea comburebant. Et quæ ſunt plura.

quod falsissimis nititur hypothesibus, multisque argumentis destrui potest. Existebant iam ætate Apostolorum *Cerinthiani*, qui sanctissimam IESV personam, IESVM a CHRISTO distinguentes, & utrumque perverse explicantes, nihil minus, quam veram divinitatem Christi asserebant: Existebant *Ebionæi* & *Nazaræi*, aperti hostes divinitatis CHRISTI, quicquid etiam LAMPIVS cum BASNAGIO reclamet: Existebant *Simoniani*, qui, vi suorum somniorum, Christum habere verum Deum non poterant. Praeterea, cum in scriptis Apostoli PAVLLI & IOANNIS, multo verborum ambitu, summa argumentorum vi & pondere, iterum iterumque, data quavis occasione, doctrina de Deitate IESV CHRISTI proponatur, confirmetur, vindicetur, inculcetur, commendetur: (exempla cape ex Ebr. I. tot. Ioh. I. 1. sqq.) immo vero, ne ab ea dimoveamur, ab Apostolo severissime prohibeatur, Col. II. 8. Col. I. 23. vix intelligo; possitne fieri, ut, Apostolorum ætate neminem Christi deitatem negasse, quispiam præter LAMPIVM suspicetur.

Hostes divinitatis Christi.

Pugnat itaque S. PAVLLVS in his ad Colossenses literis, etiam adversus hostes divinitatis CHRISTI, sua iam ætate ecclesiam turbantes, fideliumque corda a λογῳ της αληθειας avocantes. Quinam fuere? varii quidem & multi, prouti dicebamus paullo ante, Cerinthiani puta, Ebionæi, Nazaræi, Simoniani, ψευδοδιδασκαλοι alii quam plurimi: dum vero ad verba πληρωμα, πρωτοτοκος, Φιλοσοφια κατα παραδοσιν ανθρωπων, &c. attendo, venit in mentem *Gnosticorum*, antiquissimorum nempe, non saeculo secundo natorum, familia, quæ de CHRISTI divinitate, vi opinionum præiudicatarum, non poterat alia, quam absurda atque erronea docere. Florebat, ætate Apostolorum ψευδωνυμος Γνωσις, de qua gloriabantur, quotquot præ reliquis sapere sibi videbantur, orientali seu barbara illa famosa philosophia tumentes, indeque Γνωστικοι

Gnostici a Paullo refutantur.

recte

recte dicti, voce ſenſu generaliori ſumta, 1 Tim. VI. 20. Tit. III. 9. 1 Tim. I. 3.4. Ipſam philoſophiam in primis eam, quæ circa entia ſenſus non incurrentia, (id quod a multis neglectum vidimus) verſatur, vocabant γνωσιν των οντων; qua de re elegantiſſima proſtat IAC. THOMASII diſſertatio. Cumque huius γνωσεως ſ. philoſophiæ prætextu, hæretici doctrinæ Chriſtianæ capita adorirentur, factum inde eſt, ut Γνωσις Apoſtolis non modo male audiret, ſed & omnes a recto veritatis tramite aberrantes, Cerinthiani, Simoniani, Nicolaitæ, &c. nomine Gnoſticorum ſatis famoſo compellarentur. Teſte EPIPHANIO *hæreſ.* XXXI. *Valentin.* p. m. 163. CLEMENS ALEXANDRINVS rem acu fere tangit, Paullumque ſuis in epiſtolis philoſophiam, a iactitato philoſophicæ γνωσεως faſtu, caute diſtinxiſſe, obſeruat: Παυλος εν ταις επιςολαις, ȣ φιλοσοφιαν διαβαλλων, φαινεται τον τȣ γνωςικȣ μεταλαμβανοντα υψȣς, &c. *Paullus in epiſtolis, non philoſophiam, ſed eum, qui ſe ſublimioris vel altiſſimæ cognitionis participem dicit, reiicere videtur:* vid. *Stromat. L.* VI. p. m. 645. Adderem ex operibus CLEMENTIS ALEXANDRINI longe plura loca, noſtram de γνωςικȣ titulo, a philoſophis olim affectato, ſententiam confirmantia, ſi opus eſſet, in primis ex *Lib. I. ſtromat.* p. m. 298. 299. &c. Non poſſum tamen, quin venerabilis Abbatis Dn. D. IO. LAVR. MOSHEMII verba ad hanc rem maxime facientia, huc transſcribam. „Hæc ſi obſervaveris, deſines cauſſam diu- „
tius quærere, propter quam Philoſophi illi orientales, qui ſim- „
pliciſſimam & divinam Chriſtianorum ſapientiam commentis „
obſcurarunt, γνωσιν ſibi arrogarunt, ſeque ipſos *Gnoſticos* no- „
minarunt, & ab aliis hoc nomine appellari voluerunt. Præ- „
dicabant nimirum, ſolidam ſibi & certam rerum divinarum „
& æternarum, ipſius Dei, conſiliorum, decretorumque eius, „
ſpirituum, animarum, primarumque, unde orta ſunt omnia, „
cauſſarum, ſcientiam divino beneficio obtigiſſe, ideoque o- „

Quid Γνωσις, & Γνωςικος.

 mnium „

„ mnium ſeſe dogmatum Chriſtianorum, quæ ceteri memoria „ tantum comprehendant & credant, rationes aperire poſſe, „ *Fidem* ſcilicet diſtingvebant a *γνωσει* ſive *ſcientia*. Illa Chri- „ ſtianos ſecum diſſidentes eſſe præditos, concedebant: ſibimet „ vero unis hanc datam eſſe, contendebant. Vtramque vero „ ita diſtare, dicebant, ut, *ψυχικον* & *πνευματικον animale* & *ſpi-* „ *rituale*, differunt, id eſt latiſſime. vid. CLEMENS ALE- „ XANDRINVS Stromat. Lib. II. cap. III. p. 433. Quocirca „ *γνωστικος* generatim homo eſt, qui religionem Chriſtianam, „ quam divinam eſſe non dubitat, ſic interpretatur & expli- „ cat, ut decretis philoſophiæ cuiusdam, cui ſe addixit, de divi- „ na natura, & de ortu mali, & de æternis rerum omnium prin- „ cipiis, congruat & conſentiat.

Vberius hæc & exponuntur & confirmantur a b. IO. FRANC. BVDDEO in doctiſſimo libro *de ſtatu eccleſ. Apoſtol.* p. 576. 577. ſqq. ubi in CLERICO, pariter & in HAMMONDO multa emendationem poſtulantia, cenſoria virgula notavit, noſtram vero ſententiam egregie confirmavit. Sed miſſo tandem epiſtolæ ſcopo, ad integritatem eius docendam pergimus.

§. V.

De integritate huius epiſtolæ, quæ probatur 1) ex citatis Patrum ὁμοψηφοις

Integram ad nos perueniſſe epiſtolam S. PAVLLI, olim ad Coloſſenſes datam, non modo loca, a primis ſtatim ævi Apoſtolici doctoribus allegata, horumque in ſcriptis etiamnum proſtantibus obvia, condocent, ſed &, ſi opus eſſet, e ſingulorum ſæculorum ſcriptoribus Chriſtianis, verba huius epiſtolæ iterum iterumque eo, quo nunc leguntur, ſenſu atque ordine citantibus, uberius poſſet confirmari. Sed nimis amplum ingrederemur campum, unde difficilis reditus, ob locorum multitudinem. IO. MILLIVS, qui variantes lectiones

N. T.

N. T. non ſolum e codicibus, ſed & e Patrum ſcriptis ſtudioſiſſime collegit, nihil, quod integritatem epiſtolæ huius noſtræ laceſſeret, in Patrum monumentis obſervavit. In cuius teſtis, ſatis oculati, auctoritate tuto acquieſcimus. Nec negligenda ſunt κεφαλαια, de quibus in animadverſionibus ad b. PRITII *introduct. in lectionem N. T. cap.* 24. p. 328. ipſimet plura diſputavimus. Leguntur in quibusdam codicibus antiquiſſimis, unde in Elzevirianam atque Millianam N. T. editionem, nec non in PRITIANAM introductionem *cap.* XXV. transſumta fuere. Sunt autem, quod ad noſtram epiſtolam attinet, hæc: 2) ex κεφαλαιοις veterum.

ΚΕΦΑΛΑΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΗΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ.

α'. Ευχαριστια υπερ Κολασσαεων οικειωθεντων τω Θεω επ' ελπιδι.

β'. Ευχη περι αυτων εις σοφιαν πρακτικην, εις δυναμιν υπομονης, συν ευχαριστια της οικειωσεως της εν καθαρσει.

γ'. Περι της εν χριστω κτισεως και ανακτισεως της κατα συναφειαν Θεου.

δ'. Περι εθνων προσαγωγης της εν σωματι χριστου και παθει δια πιστεως.

ε'. Περι της δια των πονων αυτου διδαχης ανακτικης εις παραστασιν Θεου.

ς'. Περι του μη υπαγεσθαι τη ανθρωπινη φιλοσοφια απατηλη τους εν χριστω την σοφιαν εχοντας.

ζ'. Οτι η προς Θεον συναφεια και τα του νομου περιεχει πνευματικως, εις το συζην χριστω.

η'. Οτι οι του σαρκικου νομου τυποι τοις σαρκικοις χρησιμοι, και ου πνευματικοις τοις εν δυναμει Θεου ζωσιν.

θ'. Παραινεσις περι καθαρσεως, αγιασμου, φιλανθρωπιας, φιλοθεοτητος, φιλομαθιας, ψαλμωδιας, ευφημου εις Θεον διαγωγης, ευχαριστιας.

ι'. Τα προς τους οικειους ομονοητικως. Εν ω, τα προς τους αλλοτριους ευφρονως, οικονομικως.

Ex his κεφαλαιοις patebit, quoad præcipua capita, in antiquis huius Paullinæ epiſtolæ exemplis manu exaratis, lectum fuiſſe nihil, quod fruſtra quæratur in noſtris ære deſcriptis.

3) ex ϛιχοις. Adderem τȣς ϛιχȣς, in antiquis codicibus manu ſcriptis diligenter obſervatos atque numeratos: ſic enim in fine noſtræ epiſtolæ legitur: Εν ϛιχοις ση΄, pro quo, teſte IO. MILLIO N. T. *p. m.* 472. in Lincolnienſi codice obviat, Εν ϛιχοις σν΄, facili lapſu librarii, dum reliqui codices cum priori illa lectione conſentiunt fere omnes. Sed cum certiora adſint integritatis ſervatæ argumenta, ad hæc paullo incertiora ut confugiamus, quid eſt, quod nos moveat.

De tentata a Marcione corruptione.

De peſſimo iſto nebulone, Marcione, ex EPIPHANIO conſtat, eum ex epiſtolis Paullinis non niſi decem retinuiſſe, inque his etiam pro lubitu & mutaſſe & mutilaſſe verba Apoſtoli. Εχει δε επιϛολας παρ' αυτῳ τȣ αγιȣ Αποϛολȣ δεκα, αις μοναις κεχρηται, ȣ πασι δε τοις εν αυταις γεγραμμενοις, αλλα τινα περιτεμνων, τινα δε αλλοιωσας κεφαλαια, i. e. interprete PETAVIO: *Epiſtolas præterea Paulli Apoſtoli decem, quibus ſolis utitur, nec iis quidem integris, ſed alia ex illis capita detrahit, alia commutat.* vid. *Libr. I. adverſ. hæreſ. 42. p. m. 309.* Has inter decem epiſtolas erat octava, quæ ad Coloſſenſes, ſed ita corrupta atque mutilata, ut omnium in oculos ſtatim incurreret Marcionis nequitia. Servaverat tamen præter alia capitis II. comma decimum ſextum cum ſequenti, id quod EPIPHANIVS in ſuos uſus convertens, l. c. p. m. 373. ex iisdem verbis Marcionis abiectam ſententiam de V. T. optime confutat, quippe qui in primis temerario conatui Marcionis, de veteri fœderi abiectiſſime ſentientis, occurrit. Huc quoque pertinet TERTVLLIANVS, qui *Libr. V. adv. Marcion. cap. XIX* ex hac noſtra epiſtola Marcionem confutare ſtudet. Tantum abfuit, ut Marcion ſingula epiſtolarum Paullinarum apographa corrumpere poſſet, ut potius veterum

rum doctorum cura, ad servanda exempla N. T. tanto magis excitaretur.

§. VI.

De loco, quem in ordine epistolarum Paullinarum habent, literæ ad Colossenses.

Vt de loco, quem epistola ad Colossenses in ordine reliquarum Paullinarum tenet, pauca disseramus, nunc locus erit. De Marcione refert EPIPHANIVS l. c. quod octavum locum ei in suo Αποςολικω tribuerit, eamque ad Ephesinos missæ epistolæ subiunxerit, postposita ea, quæ ad Philippenses pertinet: Addit idem, ab Apostolo ipso septimum locum huic adscriptum fuisse, παρα δε τω Αποςολω εβδομης κειμενης, p. m. 373. Cui postremæ sententiæ lubentissime adstipularemur, dummodo satis inter nos constaret, ab ipso PAVLLO in certum ordinem dispositas esse epistolas, a se conscriptas. Collectas eas in uno volumine iam olim prostitisse, dubium non est, quia non modo Marcion, ad imitationem purioris ecclesiæ, suum confinxit ευαγγελιον & αποςολικον, recte hoc observante IO. MILLIO *in prolegom. ad N. T.* §. 198. sed & ORIGENES, immo vero & IGNATIVS, omnes iunctim sumtas epistolas Paullinas, tanquam unum librum, allegarunt. conf. IO. ENS *in biblioth. sacra cap. V. dist. 4. §. 15.* Certe etiam persuasi sumus, ævo apostolico statim suo ordine dispositas fuisse easdem, a viris sanctis, quos vulgo Apostolicos salutamus: sed ordinis auctorem ipsum apostolum esse dicendum, EPIPHANIO soli credere nolumus. Sufficit, epistolam hanc nostram semper in Canone N. T. fuisse, primosque ecclesiæ Christianæ doctores de conservanda canonis integritate semper cogitasse, adeo, ut ne quidem ordinem, a qua salus lectorum nullo modo pendet, turbari permitterent. Septima igitur semper fuit habita epistola ad Colossenses, ratione ordinis, quem receptum systema Epistolarum Paullinarum servat, nequaquam intuitu temporis, (de quo dissert. II. §. V.) multo minus auctoritatis vel dignitatis.

 §. VII.

§. VII.

Argumentum epistolæ.

Ex iis, quæ supra de scopo huius epistolæ disseruimus, facile de argumento eiusdem constabit: quod etsi a variis vario modo recenseatur, & vel geminum vel triplex constituatur, cognitu tamen facillimum erit pio attentoque lectori. IO. HENR. HEIDEGGERVS in *enchirid. bibl.* L. III. cap. 14. p. m. 901. bene atque sapienter monuit, succinctam hanc epistolam totius evangelii nucleum complecti, omniaque humana somnia, & excogitatos præter ac contra Dei verbum cultus, profligare: dum enim Colossensibus fidem in Christum susceptam gratulatur, eosdem ad quærendum eiusdem incrementum exstimulat, Christi beneficia commendat, inanem sapientiam, superstitionem, ritus Mosaicos, *παραλογισμȣς* philosophorum, dissuadet, denique veræ fidei & pietatis exercitia præscribit. Ne quid de Clariss. Dn. CHRISTOPH. STARCKIO in *synopsi biblioth. exeget.* in N. T. tom. III. p. m. 243. de b. ABRAHAMO CALOVIO in *bibl. illustr.* tom. IV. p. 797. de SALOMONE VAN TILL, LAVRENTIO, AVG. HERM. FRANCKIO, HEDINGERO, SEB. SCHMIDIO, SVICERO, FRID. BALDVINO, AEG. HVNNIO ac quam plurimis aliis commentatoribus in hanc epistolam, cum generalibus tum specialioribus, dicam, me quidem iudice, rectius nemo argumentum epistolæ nostræ recensuit, ac OECVMENIVS, cuius verba huc repetere non pigebit:

> ΤΑΥΤΗΝ *επιϛελλει απο Ρωμης, ȣχ εωρακως μεν αυτȣς, ακȣσας δε περι αυτων· η δε προφασις της επιϛολης αυτη. Τȣς Κολασσαεις ηθȣλοντο τινες απατησαι σοφισμασιν Ελληνικοις κατα της εις Ιησȣν πιϛεως, και περι των εν νομω βρωματων, και περιτομης. Ταυτα τοινυν μαθων ο αποϛολος, γραφει την επιϛολην ωσπερ κατηχητικην αυτοις ταυτην· και πρωτον μεν ευχαριϛων τω Θεω σημαινει απο τȣ σκοτος αυτȣς μεταβεβηκεναι εις το φως της αληθειας· και οτι ο χριϛος,*

εις ον επιςευσαν, εικων εςι τȣ Θεȣ και λογος, δι' ȣ τα παντα γεγονε· και οτι επρεπεν αυτον δημιȣργον οντα, γινεσθαι αυτον και πρωτοτοκον της κτισεως, και πρωτοτοκον εκ των νεκρων, ινα τα αμφοτερα συναψη, και ζωοποιηση τα παντα. Προτρεπει δε αυτȣς εμμενειν τη πιςει, σημαινων οτι αυτος ο Παυλος διακονος εςι τȣ ευαγγελιȣ, εν ω κατηχηθησαν· ειτα και περι τȣ νομȣ και των εν αυτω βρωματων, και περι ημερων και ενιαυτων εξηγειται· και αποδεικνυσιν ηργηκεναι λοιπον τα παλαια, και την περιτομην, συμβȣλευει τε αυτοις μη πλαναθαι απο των σοφιζομενων και πλαναν αυτȣς θελοντων· και λοιπον παραινεσας και ωδε γονευσι και τεκνοις, ανδρασι, και γυναιξι, δȣλοις και κυριοις, και τα αλλα τα προς τα ηθη συμβȣλευσας, τελειοι την επιςολην. Παραγγελλει μεν τοις αυτοις, ινα οταν αναγνωσθη παρ αυτοις η επιςολη, ποιησωσι και εν τη Λαοδικεων εκκλησια αυτην αναγνωσθηναι, και την εκ Λαοδικαιας και εις αυτȣς αναγνωσθηναι.

Quæ clar. Dn. CHRIST. STARCKIVS l. c. de convenientia huius noſtræ cum epiſtola ad Epheſinos monuit, ac ſi haud immerito compendium prolixioris illius habeatur, ſiquidem tam quoad res, quam quoad verba, inter utramque ſumma ſit ſimilitudo, inque noſtra ad Coloſſenſes eædem res, ſed breuius atque concinnius, proponantur ab Apoſtolo, equidem reiicienda plane non ſunt, caute tamen accipienda. Etenim non deſunt, in quibus diſparitas, eaque non levis, deprehenditur. Mallem ideo ſubſcribere ſententiæ IO. MILLII, qui quidem ſimili fere argumento cum epiſtola ad Epheſinos, (quam ipſe ad Laodicenos inſcribendam eſſe iudicat) ac verborum tenore fere eodem, noſtram eſſe, concedit, ſed inſimul monet, *interſperſa quoque eſſe nonnulla plane ſingularia de Pſeudo-Apoſtolorum, qui iam apud ipſos verſabantur dogmatibus, angelorum cultu, dierum ac ciborum diſcrimine, aliisque id genus Iudaicæ Traditionis obſervatiunculis.* vid. *proleg. in N. T.* §. 80.

§. VIII.

§. VIII.

Partitio epistolæ ad Coloss.

In tres autem partes tota epiſtola commodiſſime diſpeſcitur, quarum *primam* didaſcalicam, *ſecundam* Elenchticam, *tertiam* pædevticam, haud inepte dixeris; vel, ſi cum b. CALOVIO facere amas, in duas eam partes, exordio atque epilogo omiſſis, divides, prioremque διδακτικην, poſteriorem νȣθετικην vocabis. vid. *bibl. illuſtr. tom.* IV. p. 797. Conſimilem partitionem bimembrem tradit FRID. BALDVINVS: *Prima eſt* διδακτικη, *repetens doctrinam de præcipuis Chriſtianæ religionis partibus, capitibus duobus prioribus. Altera eſt* νȣθετικη, *continens exhortationes ad opera Chriſtiano homine digna, quæ partim in genere ab omnibus, partim in ſpecie a certis quibusdam hominum ordinibus requiruntur.* vid. *comment. in epiſt. Paullin.* p. 1037. SEB. SCHMIDIVS in quinque partes epiſtolam reſolvit, addita hac cautione, epiſtolam a variis varie dividi, eſſe autem cuilibet libertatem ſuam concedendam, modo nihil contra verum ſenſum quis moliatur. v. *commentar. in epiſt. ad Coloſſ.* p. 5. Quod ad nos, placet has tres epiſtolæ partes, omiſſis exordio atque epilogo, conſtituere:

Caput I. epiſt. ad Coloſſ.

I. *Didaſcalicam*: Præmiſſa ſalutatione, Cap. I. v. 1. 2. apoſtolus fidem Coloſſenſium, per Epaphræ miniſterium a Deo productam, gratiſſima erga Deum mente agnoſcit & celebrat, v. 3-8. ſeque indeſinenter pro augenda & conſervanda hac Coloſſenſium fide, eorumque in Deum reverentia, precari, perhibet, v. 9.-12. omnem ſalutis œconomiam, in CHRISTO unice fundatam, v. 13-22. exponens, evangeliique propagationem, v. 23. nec non ſui miniſterii difficultatem v. 24. pariter & felicitatem v. 25-29. commendans Coloſſenſibus, eum in finem, ut in religione Chriſtiana tanto certius perſeverent.

Cap. II. epiſt. ad Coloſſ.

II. *Elenchticam*: Quia vero apoſtolus Coloſſenſibus multa

multa mala ab hæreticis, passim iam tunc ecclesias perturbantibus, metuit, suam de Colossensium inconstantia vel mobilitate sollicitudinem exponit, *Cap.* II. v. 1. 2. multisque verborum ponderibus ad constantiam in fide, ne unquam ab agnita veritate deficiant, eos adhortatur, ita, ut CHRISTO, tanquam omnis salutis fonte laudato v. 3. *in genere*, ne per paralogismos se ab eo abduci concedant, sed in CHRISTO, ut unico salutis fundamento, persistant, v. 4 - 7. graviter imperet, inde *in specie* ad fugiendas opiniones erroneas pergat, addita hæreticorum confutatione, & admixtis sententiis veris, hæreticorum fraudibus maxime oppositis, atque studiose custodiendis, v. 8. *ad fin.*

III. Pædeuticam: Confirmatis Colossensibus in fide, Apostolus more quidem suo, ad morum emendationem vitæque puritatem, e vera religionis doctrina antea ab ipso proposita, sponte fluentem, progreditur. *In genere* ad resurrectionem spiritualem cœlestiumque meditationem, animos Colossensium, additis gravissimis argumentis, excitat cap. III. 1 - 4. revocans eosdem a vitiis, quibus olim fuerant dediti v. 5 - 10. sed ad colendam & sectandam virtutem, in variis operibus rectis conspicuam, commonefaciens, v. 10 - 17. Postea *in specie* mulierum v. 18. maritorum v. 19. liberorum v. 20. parentum v. 21. servorum v. 21 - 25. herorum cap. IV. 1. (*) officia Colossensibus observanda præcipit, annexa denuo admonitione generaliori ad preces nunquam intermittendas v. 2. & pro se ad Deum fundendas v. 3. 4. ad prudentiam erga omnes & omni tempore observandam, v. 5. 6. tandem salutatione consueta, fatorum suorum enarratione, aliisque ad epilo-

Cap. III. & IV. Epist. ad Coloss.

(*) Pertinet itaque capitis quarti primum comma ad antecedens caput tertium, deditque HVGO CARENSIS in huius quoque epistolæ distributione in capita, negligentiæ suæ documentum. vid. PRITII introd. in lectionem N. T. p. 353. edit. quart.

pilogum pertinentibus, & in ſingulis s. PAVLLI epiſtolis obviis, literas claudit.

§. IX.

Analyſis epiſtolæ generalior.

Inde nunc ad analyſin totius epiſtolæ, quam conficere, facillimum eſſe, tot ſupra allegatis auctoribus §. VI. praeeuntibus, nemo non intelliget, pergendum eſſet; Malumus autem hanc vel exegetis vel homiletis relinquere operam, non niſi generaliſſimam epiſtolæ partitionem ſubiungentes:

I, Inſcriptio: Cap. I. 1. 2.
II, Tractatio: quæ tria capita complectitur.
1, confirmationem in vera doctrina Cap. I. 3. ad fin.
2, dehortationem ab erroribus graſſantibus Cap. II. tot.
& quidem p. generatim, Cap. II. 1-7.
p. ſpeciatim, Cap. II. 8. ad fin.
3, adhortationem ad officia, cum generalia Cap. III. 1-17.
tum ſpecialia, Cap. III. 18. ad cap. IV. 6.
III, Concluſio: Cap. IV. 8. ad fin. in qua obviat
1, rerum ad Paullum pertinentium notitia Cap. IV. 7. 8. 9.
2, ſalutationes mutuæ, Cap. IV. 10-15.
3, mandatum ſpeciale duplex, Cap. IV. 16. 17.
4, votum & ſubſcriptio Cap. IV. 18.

DEO SIT GLORIA.

Emendanda.

Pag. I. lin. 6. a fine, verbo *affirmamus* præmittatur *idem*.
p. 3. lin. 18. lege, remque sua *cum* umbra *adunare*.
p. 5. lin. 6. pro *capiditatibus*, lege *cupiditatibus*.
— in not. lin. 5. pro *fuisset* lege *fuissent*.
p. 7. lin. 22. pro *Hic* lege *Hinc*.
— lin. 26. pro *idem*, *qui* lege *idem*, *quod*.

ET RELIQVA.